



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

Liber CCXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)



Religionis Catholicae Libertas ab Imperatore
Sinenfibus permiffa.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CONTINUATAE.

LIBER CCXI.

INNOCENT. XII. PONTIF. MAXIM.
LEOPOLDUS I. ROM. IMP.

§. I.

*Antonius Pignatellus Cardinalis in Pa-
pam electus, assumpto nomine
Innocentii XII.*

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

Exequiis folemni ritu celebratis Car-
dinales undecima ab Alexandri VIII. *Miss, Itin.*
obitu die supplicantium more in *Ital.*
Conclave Vaticanarum mane ingressi sunt;
Hist. Eccles. Tom. LXVI. A ubi

Sæc. XVII. ubi cum prima dies partim sacris pre-
 A. C. 1691. cibus partim crebris consalutationibus,
 quibus tam Oratores, quam Nationum
 Protectores suorum Principalium ne-
 cessitates Sacro Collegio commenda-
 bant, absumeretur, tandem sexta no-
 ctis hora Cardinales sese concluderunt.
 Aberant autem ex Purpuratis non
 pauci, quorum adventu ad unanimum
 electionem ceterorum animos citius
 conciliari posse sperabatur: In prima
 quidem suffragiorum scrutatione Lau-
 rentius de Lauria solus quindecim tu-
 lit suffragia, obstitere tamen Hispani,
 quibus, etsi natione Hispanus, sem-
 per adversatus est. Prævaluit deni-
 que numerus eorum, qui Zelanti-
 um nomen assecuti inter se convenere,
 se nullo pacto ad electionem progressu-
 ros, nisi a Sacro Collegio omnis Ne-
 potismi abrogatio fuisset stabilita, hac-
 que in electione nulla nec Personæ,
 nec affinitatis, sed solius meriti ratio
 haberetur. Horum omnium suffragia
 collimabant in Barbadicum Cardina-
 lem Venetum, Virum ob doctrinam
 & pietatem cunctis Purpuratis vene-
 rabilem: nonnullis tamen nimis serius
 gravisque visus est, maxime vero di-
 splicuit Altierio & Ottobono Cardina-
 libus, quorum auctoritas in hoc Con-
 clavi plurimum valuit: Proponebatur
 ergo

ergo Cardinalis Delphinus itidem pa-
 tria Venetus, cui tamen Zelantes Pur-
 purati sese vehementer opponebant,
 Nepotum copiam veriti: Ferebat non
 pauca Cardinalium suffragia Altierius,
 cui tamen ceteri accedere renuebant,
 caussantes, ejus Patrum de Nepotis-
 mi labe suspectum fuisse, nimisque re-
 centem adhucdum illius exstare memo-
 riam: Placuit denuo non paucis Apo-
 stolicæ severitatis amantibus Cardinalis
 de Lauria Ord. S. Francisci Vir eru-
 ditione, ac pietate nemini secundus:
 in eo tamen non pauci nauseabant pro-
 geniæ rusticam, vestemque Monasti-
 cam: quapropter fama de ejus proxima
 electione in urbem delata, mox Pas-
 quino affixi legebantur hi versus:

*Imperii nunquam, Patres, date jura
 cucullo:*

*Sufficiant, quæ dant, lingere jura
 coqui.*

Denique post crebras scrutationes
 haud vana Pontificatus spes alluserat
 Cardinali Acciajolio, cui tamen cum
 suis Ottobonus & Altierius obstitere:
 Jam quinque ferme Menses crebris ejus-
 modi consultationibus absumentur,
 quin suffragantium animi conciliari po-
 tuerint, audiebatur murmur aliorum
 in digniorem assentientium, aliorum

A 2

assen-

Sæc. XVII. assentientes increpantium: resona-
 A. C. 1691. bant ubique tam publicæ quam pri-
 vatae populi Romani indignationes,
 & criminationes parum decoræ: in
 ipso etiam conclavi ingruere morbi,
 visque mali latius vagari cæperat, at-
 que incendium ibidem exortum mole-
 stiam auxit: tantam moram indigna-
 tus etiam Cardinalis Cibo dixisse fer-
 tur: timendum esse, ne hoc conclave
 noctuarum nidus diceretur, in quo
 Cardinales Spiritum Sanctum exclu-
 dere viderentur: Tandem vero die
 duodecima Julii proponebatur Cardi-
 nalis Antonius Pignatellus, in quo
 concurrentibus Gallis quinquaginta
 tres ex sexaginta & uno Cardinalibus
 conspirarunt. Hic tamen grave senium
 caussatus, hocque onus a se trans-
 ferri perdemisse rogans, tandem ad
 plurimorum preces humeros subjecit,
 consueto ritu ad Basilicam Divi Petri
 delatus, ac paulopost sequenti Domi-
 nica maximo totius urbis applausu co-
 ronatus. Assumpserat Innocentii XII.
 nomen, ut tam imitationis exemplum,
 quam gratitudinis pignus testaretur
 Innocentio XI. a quo Romana Purpura
 honoratus erat. Postquam vero a Prin-
 cipum Legatis aliisque solitas gratu-
 lationes exceperat, præprimis fruga-
 lem mensam, ac reliquum apparatus
 parce

parce instruendum præcepit, omnes-
 que suos affines ac Nepotes longissime
 ab aula Romana, ac contubernio abesse
 jussit, edito diplomate publico, quod
 ad proximum annum adducere diffe-
 rimus: ceterum horum loco pauperi-
 bus, quos suos Nepotes vocabat, cer-
 tos singulis hebdomadibus dies consti-
 tuit, in quibus omnium querelas pre-
 cesque publice exaudiret. Præterea
 in primis curis habebat, ut Romæ ju-
 stitia integerrime administraretur: suam
 quoque pietatem in primis Pontifica-
 tus auspiciis exerebat erga pauperes
 Neapolitanos, quibus peste adhuc la-
 borantibus magna pecuniarum subsi-
 dia destinavit, simulque in primo allo-
 quio Principi Lichtensteinio Cæsaris
 Oratori pollicitus est, se pro Turcico
 bello septuaginta quinque aureorum
 millia erogaturum: pariter Duci de
 Chaunes Franciæ & Melfordio Jacobi
 Angliæ Regis Legatis suppetias pro-
 misit, petiit tamen, ut Protestantium
 Principum copiæ, quibus sui cultus
 libertas concessa esset, nullam in Ita-
 lia molestiam caussarent. Primis quo-
 que Pontificatus diebus Galli Præfules,
 ad Episcopatus nominati, quibus huc-
 usque Pontificia confirmationis diplo-
 mata fuere denegata, transmissis lite-
 ris declarabant, se sacræ Sedis aucto-

Sæc. XVII.
 A. C. 1691.

Sæc. XVII. ritatem revereri, atque articulos a
 A. C. 1691. Clero Gallicano contra Papam decre-
 tos revocare paratos esse, prout Pon-
 tificex & Cardinalium Congregatio hanc
 in rem stabilita ab eis postulasset: vi-
 cissim vero Furbinus Cardinalis Regis
 nomine significabat, si Pontifex con-
 firmationis literas Episcopis diutius de-
 negaret, Regem revocato Leonis X. con-
 cordato rursus Caroli VII. Pragmati-
 cam investurum. Haud difficilem ad
 hæc postulata primo sese exhibuit Pon-
 tificex, executionem tamen præpedie-
 bant illi Cardinales, qui hanc conces-
 sionem Sedi Apostolicæ minus hono-
 rificam fore prospexerant: illis tamen
 Præsulibus, qui Cleri Gallicani actis
 non participarunt, aut ea posthac missa
 facturi sint, mox literas Apostolicas
 expediri jussit, uti memorabimus.

§. II.

*Hujus Pontificis gesta ante Pontifi-
 catum.*

*Bæcher Ca-
 bal. p. 60.*

Primam lucem aspexerat Neapoli An-
 tonius Pignatellus die decima ter-
 tia Martii anno Christi millesimo sex-
 centesimo decimo quinto ex Nobilissi-
 ma familia ortus: A teneris annis li-
 beraliter educatus, Romam pervenit,
 ubi literis ac scientiis & præcipue Ju-
 rispru-

ris prudentia excultus, dubium reliquit, *Sæc. XVII.*
 an non magis pietatis atque eruditio- *A. C. 1691.*
 nis splendore, quam natalium gloria
 Pignatellus eluxerit. Creatus dein est
 ab Urbano VIII. Urbini Pro-Legatus,
 antea tamen Melitensis Eques sacræ
 militiæ nomen dedit, ibidemque In-
 quisitor, necnon Sedis Apostolicæ Le-
 gatus Florentiæ decem, in Polonia
 octo, & in Germania quatuor annis
 Sedis Apostolicæ negotia indefesso la-
 bore procuravit, ab omnibus Principi-
 bus, in quorum Aula versabatur, ma-
 ximi habitus: Ex Germania Romam
 redux, a Clemente IX. Episcopus Lec-
 censis, Sacræ Episcoporum Congre-
 gationi a secretis esse iussus est: postea
 Clementis X. & Innocentii XI. Pontifi-
 cum jussu Faventinus Episcopus, & Præ-
 fectus Cameræ constitutus, Bononien-
 sem Legationem obibat, qua honorifice
 defunctus, Neapolitano Archiepisco-
 patu, & Romana Purpura decoratus
 est, quam Ecclesiam per undecim om-
 nino annos vigilantia vere Pastoralis re-
 xerat, gregis sui exemplum, & pau-
 perum Pater: demum hoc anno, æta-
 tis vero suæ septuagesimo sexto ad su-
 premos Pontificatus honores omnium
 ferme suffragio electus.

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

§. III.

Jansenistæ ab e mentito Arnaldo delusi.

*Abrege
chron. de
l'Hist. Eccl.
tom. 3.
Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 47.
pag. 483.
Binner App.
t. 8. p. 852.*

Jam per aliquot annos crebræ fervebant contentiones inter Duacensis Universitatis Doctores, & Molinistas; hi enim censuram in Lessii systema latam, necnon peccati Philosophici damnationem dolentes, toti in eo erant, ut illos, quos ex hisce Doctoribus de Jansenii doctrina suspectos habebant, detegerent, eosque Universitate ac Regno expelli curarent: Hanc in rem dolum excogitarunt, quo magis ingeniosum, majorique artificio excogitatum, majorique felicitate executioni datum, vix ulla ætas meminit: Hujus præcipuus artifex ab aliis creditur Pater Tellier Jesuita; alii Honoratum Tournelium, alii quemdam Duacensem Canonicam in suspicionem trahunt: quiscunque autem demum Author fuerit, id omnino compertum est, quod PP Desruelles Vodripontius, Pajenus, & Tellierus Jesuitæ hujus scænæ vel actores, vel participes fuerint, & Pater de la Chaise funestam ipsius Catastrophen apud Franciæ Regem promoverit. Occasionem dederat declamatio Mense Junio anni prioris Duaci habita,

bita, in qua P. Beeckman Jesuita in Sæc. XVII.
 Arnaldum, Jansenistas & Thomistas A. C. 1691.
 publice, acriterque invehebatur: vicissim Lignius ejusdem Universitatis
 Professor habita luculenta oratione Jesuitas exagitabat: inde vero mutua
 contentio, vindicandi cupido, atque odium non modo in Lignum, sed & Laleum Theologiæ Professore, Rivettum, & Malpaisium Canonicos ad S. Amatum exarsit. Nil aptius videbatur, quam Jansenianæ hæresis accusatio; sonoro tamen gressu incedere, periculosum; vulpina igitur astutia capiendæ erant aves: conclusum ergo, ut Tellerius, vel alius quiscunque se Arnaldum esse fingeret, & sub ejus nomine literas omni humanitate & affectu plenas primo ad Lignum juvenem Baccalaureum daret, in quibus oblata literarii commercii copia ementitus hic Arnaldus Baccalaureum ejusque rigidioris disciplinæ studium encomiis commendaret amplissimis, postea illum de magno applaudentium numero certiorum reddens, tam hujus Viri, quam aliorum, quos Jansenistas crederat, affectum & confidentiam septem primis literis conciliare nitetur: Subscriptæ erant omnes hæ epistolæ literis A. A. quas Baccalaureus Antonii Arnaldi nomen esse, & cum ipso

A 5 vere-

Sæc. XVII. veroque Arnaldo commercium sibi esse
 A. C. 1691. haud dubitabat.

§. IV.

*Septem propositiones de Gratia a
 fideo Arnaldo fabricatæ.*

*Argentre
 Coll. Jud.
 de nov. err.
 t. 3. p. 368.* Captata Lignii, aliorumque fiducia
 fictus Arnaldus, ut ex Jansenistis
 scriptam suæ doctrinæ professionem e-
 liceret, datis literis ad Lignum se-
 ptem propositiones circa gratiæ verita-
 tem transmisit, subjungens, quod hæ
 in quadam disputatione publica Mech-
 linæ fuerint propugnata, Archiepi-
 scopus vero a Jesuitis instigatus, hujus
 disputationis Præsidem acriter insecta-
 tus, sancti Augustini doctrinam in his
 thesibus contentam censuris perstrin-
 gere intendat: id autem cum in gra-
 vem hujus S. Doctoris contumeliam
 cederet, ipse Arnaldus eas a potissi-
 mis Franciæ Episcopis & Sorbonæ &
 Lovaniensibus Doctoribus, necnon a cele-
 berrimis Europæ Theologis approbari
 curavit: ut ergo Archiepiscopus tot ap-
 probationum auctoritate territus, a
 censura abstineret, hæcque causa Ro-
 mæ ea certius optatum haberet succes-
 sum, pariter Duacensis Universitatis
 approbatio desideraretur: Erant autem
 septem hæ Theses hujus tenoris:

I. „Gra-

I. „Gratiam efficacem nec semper, Sæc. XVII.
 „nec omnibus hominibus dari, omnium A. C. 1691.
 „Theologorum consensu, & quotidiana
 „na tot Peccatorum experientia com-
 „probatur. Hanc gratiam necessariam
 „esse, ut homo vere & proprie possit
 „opera bona exercere, tentationes su-
 „perare &c. fatetur, quisquis in Eccle-
 „siæ traditione, S. Augustini aliorum-
 „que Patrum doctrina peregrinus non
 „est. „

II. „Hi ergo, qui aliquam gratiam
 „sufficientem ab efficaci distinctam pro
 „statu naturæ lapsæ admittunt, longif-
 „sime a mente D. Augustini aberrant;
 „hic enim in statu naturæ ante lapsum
 „non aliam, quam gratiam sufficien-
 „tem adstruit, nec aliam post pecca-
 „tum, nisi efficacem. Hæc si indu-
 „bitata S. Augustini principia vel mi-
 „nimum concutias, infallibiliter totam
 „doctrinæ cælestis compagem solvis. „

III. „Quid autem cogitandum de
 „gratia sufficiente Thomistarum? mi-
 „nus erronea videtur hæc opinio, quia,
 „nisi decipi amas, complecti videtur
 „expressionem, quæ gratiæ sufficien-
 „tiam excludit, aliunde vero turbidis
 „hisce temporibus ad occultanda gra-
 „tiæ Evangelicæ mysteria satis accom-
 „moda est. Ceterum, sicut nec Au-
 „gustino, nec in purioribus Ecclesiæ
 „sæcu-

Sæc. XVII. „fæculis cognitum erat Gratiaë suffi-
 A. C. 1691. „cientis verbum, minus autem res per
 „illud expressa, hinc illud a sana Theo-
 „logia relegandum esse, haud imme-
 „rito censemus. „

JV. „Peccati Philosophici dogma
 „est infecta illa radix, quæ clam a longo
 „tempore in corruptæ Ethicæ Semi-
 „nariis adolevit: quamprimum vero
 „palam prorupit, Vaticano fulmine
 „percussa est, variique errores infallibili
 „connexione cum detestando hoc dog-
 „mate conjuncti, quasi surculi in ra-
 „dice eodem ictu protriti sunt. „

V. „Propositio damnata est hæc:
 „*Peccatum Philosophicum commissum ab*
 „*eo, qui Deum ignorat, non est offensa*
 „*Dei:* inde opposita hæc conclusio in-
 „ferri potest: *Peccatum Philosophicum est*
 „*offensa Dei, etiam in eo, qui Deum igno-*
 „*rat:* inde sic ulterius infertur, si Deus,
 „qui ignoratur offenditur, ergo igno-
 „rantia non excusat a peccato, proin-
 „post tot altercationes hucusque ha-
 „bitas, hodie summi Pontificis oraculo
 „decisum manet, quod nulla sal-
 „tem juris naturalis ignorantia ex-
 „cuset a peccato. „

VI. „Quomodo vero cum illa pec-
 „cati Philosophici censura conciliari
 „potest bicornis voluntatis indifferen-
 „tia, & Aristotelica libertatis definitio:
 „*liber-*

„libertas est potentia, qua quis positus omnibus **Sæc. XVII.**
 „ad agendum prærequisitis potest agere & **A. C. 1691.**
 „non agere, cum utique non possit tam
 „vitari, quam non vitari id, quod igno-
 „ratur: Cave, ne recurras ad distin-
 „ctionem, *sensus divisi & compositi*; aut
 „ad indifferentiam iudicii: vana sunt
 „hæc effugia, excogitata a novis qui-
 „busdam Neotericis ad eludenda Se-
 „mipelagianorum terriculamenta, me-
 „lius igitur, magisque conforme vide-
 „tur principiis S. Augustini, ejusmodi
 „libertatem in flexibili ad libitum indif-
 „ferentia, & in expedita ad utrum-
 „libet potentia consistentem post Adæ
 „lapsum prorsus rejicere.„

VII. „Inferes illico, hac ratione
 „in actiones humanas induci necessi-
 „tatem: ast facestant hæ consequen-
 „tiæ centies ex quinque propositioni-
 „bus perperam deductæ, ac centies
 „explosæ; nos pro statu Viatorum ne-
 „cessitatem, quæ vocatur naturæ,
 „& immutabilitatis, rejicimus: a-
 „liam vero quamlibet necessitatem
 „nihil est, quod reformidemus duce
 „S. Augustino, qui l. 5. de Civit. Dei
 „c. 10. dicit. *Si illa definitur esse necessi-
 „tas, secundum quam dicimus, necesse esse,
 „ut ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur
 „eam timeamus; ne nobis libertatem aufe-
 „rat voluntatis.* Hanc necessitatis cum
 „liber-

Sæc. XVII. „libertate concordiam deinceps agno-
A. C. 1691. „scet quisquis Catholice sentiet, &
 „pestiferam peccati Philosophici do-
 „ctrinam ejurabit. „

§. V.

*Lignii & aliorum judicium de his
 propositionibus.*

Quamprimum Lignius a personato Arnaldo septem hæc propositio- nes unacum literis, in quibus illum Impostor suum *Filium charissimum* appel- litabat, recepit, mox consultatione cum Laleo & Rivetto habita, uniuscu- jusque responsum atque judicium ex- petebatur: Scripserat Lignius die se- cunda Novembris epistolam, in qua præcoci impetu ementito Arnaldo signi- ficabat, quod suo judicio verissima qui- dem & summe orthodoxa sit doctrina harum Thesium, nimis tamen cruda pro illis, qui nonnisi in Scholarum idio- mate enutriti essent. Ceterum La- leum & Rivetum ejusdem cum Arnal- do sententiæ esse, nec minori odio ejusmodi loquendi modos, quos Scho- lastici ad sedandum Sorbona furorem adhibent, detestari ajebat. Eadem quoque die Laleus ad fictum hunc Arnaldum datis literis hæc effatus est, „Utinam ea esset temporis ratio, ut „libere

„libere sicut S. Augustinus, loqui pos- Sæc. XVII.
 „sem, fateor, præsentis temporis, re- A. C. 1691.
 „rumque vicissitudines non satis esse
 „cognitas, ut de iis iudicium ferre
 „possem; ceterum caute præveniamus
 „horam a Deo datam: crediderat e-
 „tiam Gilbertus, tempus adhuc sup-
 „petere, contrarium tamen ostendit
 „eventus: „ in alia epistola die prima
 Februarii ad personatum Arnaldum
 data Lignius hæc perscripserat: *Er-
 gone nunc haud amplius verum erit, quod
 Molinistarum gratia sufficiens sit error, &
 illa Thomistarum sit insania? Quid sibi
 volunt novæ hæc decisiones gratiæ sufficientis?*
 Præter hæc, pluresque alias literas,
 quas Lignius, Rivettus, & Laleus ad
 fictum Arnaldum dedere, insuper die
 secunda Novembris circa septem has
 theses suum transmiserunt iudicium:
 & quidem circa primam thesin censue-
 runt, „quod hæc thesis contineat S.
 „Augustini, ipsiusque Evangelii do-
 „ctrinam, si intelligatur de potestate,
 „quæ complectitur id omne, quod ad
 „operandum est necessarium. Ita in-
 „telligendus S. Augustinus, dum in li-
 „bro de Gratia & libero arbitrio de S.
 „Petro ait: *putabat posse, quod in se-*
 „*metipso sentiebat se velle, & Joann. cap.*
 „15. *Christus ait: nihil sine me pote-*
 „*stis facere, nisi ego vos faciam & velle*
 „& agere: „ De

Sæc. XVII

A. C. 1691.

De secunda thesi ita judicabant:
 „Hæc doctrina vere est doctrina S. Au-
 „gustini, qui a statu naturæ corruptæ
 „gratiam sufficientem Molinisticam ex-
 „cludit, de qua secunda hæc thesis
 „est intelligenda, uti ex tertia conclu-
 „ditur. De hac gratia noster Estius
 „in 3. Cap. Apoc. v. 20. dixit, quod
 „sana doctrina ejusmodi gratiam non
 „admittat: Vid. censuram Duacensem
 „contra secundam Assertionem. „ Circa
 „tertiam thesin sequens tulerunt judi-
 „cium: „Utinam hoc verbum: *sufficiens*
 „nunquam in Scholas juxta plurium
 „Thomistarum explicationem fuisset
 „invectum: verum enim est, quod lon-
 „ge aliud, quam ipsi intendant, expri-
 „mat; quamvis enim dici possit, quod
 „hæc gratia sit sufficiens, ut det poten-
 „tiam proximam, quæ nil aliud est,
 „quam simplex potentia naturalis, ni-
 „hilominus sola hæc gratia vere non
 „sufficit ad agendum, quapropter no-
 „stra Censura Duacensis se melius ex-
 „plicat, dum circa secundam assertio-
 „nem dicit, quod auxilium sufficiens
 „sit id, quo posito opus non habemus
 „ullo alio auxilio ex parte Dei, & sic
 „hoc auxilium est idem ac gratia effi-
 „cax: haud immerito igitur hujus the-
 „sis Author dicit, quod gratiæ suffi-
 „cientis idea etiam in sensu Thomi-
 „starum

„starum Divo Augustino & purioribus Sæc. XVII.
 „Ecclesiæ sæculis fuerit incognita, ubi A. C. 1691.
 „agebatur de Salvanda hominis liber-
 „tate; hæc enim gratia ad hoc non
 „est necessaria; quamvis fatendum sit,
 „quod veritatem non lædat, dummodo
 „huic verbo: *gratia sufficiens* abjudice-
 „tur sensus, in quo eam intelligunt
 „Molinistæ. „

Thesin quartam a nullo in contro-
 versiam duci posse, censebant.

Ad quintam vero responderunt, do-
 ctrinam, qua nullam juris naturalis
 ignorantiam a peccato excusare ad-
 struitur, sicut re ipsa a *Philosophico* non
 „excusat, esse doctrinam sanam, a SS.
 „Augustino, Bernardo, Thoma, &
 „plurimis maximi nominis Doctoribus
 „antiquis clare traditam. „

De sexta Thesi judicarunt, quod
 ea, sicut illius Author ait, intelli-
 genda sit de illa indifferentia, per quam
 anima æque se posset determinare ad
 bonum & ad malum, perinde ac si sem-
 per haberet gratiam, qua pro suo ar-
 bitrio uteretur: hoc autem jure ne-
 gatur; manifestum enim esse, quod
 gratia desit ei, qui Deum non cogno-
 scit: „Nec necessariam, prosequuntur
 „illi, censemus distinctionem sensus *com-*
 „positi & *divisi*, nec id, quod de iudicii
 „indifferentia dicitur; quin etiam sine
Hist. Eccles. Tom. LXVI. B „his

Sæc. XVII. „his omnibus Divus Augustinus, &
A. C. 1691. „post ipsum Ecclesia omnes hostium
 „suorum assultus retundere, & liber-
 „tatem cum gratia perfecte conciliare
 „noverat. „

„Denique de septima thesi judica-
 „runt, quod sicut ea justum horrorem
 „necessitatis *naturæ*. & immutabilita-
 „tis, utpote libero arbitrio contrariæ
 „ostendit, ita veritati consona sit, qua-
 „tenus asserit, omnem aliam necessi-
 „tatem nullatenus libertati officere: ta-
 „lis est necessitas, quam Scholastici
 „appellant infallibilitatis, seu meræ con-
 „sequentia, necessitatem hypotheti-
 „cam &c. qualis est ea, quam Inno-
 „centius I. Papa in sua epistola ad
 „Carthaginense Concilium admittit,
 „dicens: *Necesse est enim, ut quo auxi-*
 „*liante vincimus, eo iterum non adjuvante*
 „*vincamur.* Pronuntiato hoc iudicio hi
 Doctores suam epistolam absolvebant
 additis hisce verbis: *Hæ septem posi-*
 „*tiones de gratia, de peccato Philosophico,*
 „*Et de libertate humana doctrinam conti-*
 „*nent vere Augustinianam Et orthodoxam,*
 „*ac proinde, nulli censuræ obnoxiam, ita*
 „*censent, Et testantur Laleus. Rivettus,*
 „*Et Lignius,* hoc insuper iudicium suo
 „chirographo approbarunt Gilbertus,
 „Malpesius uterque Bruneau, Basi-
 „lius du Bron & Ægidii Witte, Dua-
 „cen-

„censes Doctores. Transmisso ad fictum Sæc. XVII.
 „Arnaldum hoc iudicio Lignius insu- A. C. 1691.
 „per die quinta Novembris ad eundem
 „hæc perscripsit: Nescio, an explicatio
 „nostra ad theses propositas tibi probabi-
 „tur: majore cum energia locuti fuif-
 „semus, nisi Laleum & Rivettum se-
 „quentes absterruissent rationes. I. Quia
 „horum neuter efficacius se explicare po-
 „tuissent, quin gratiæ Christi hostibus an-
 „sam præberent, ut nos contradictionis,
 „ne dicam quid pejus, arguant; postquam
 „enim Gilbertus, ex Jesuitarum rabie
 „Duaco excedere jussus erat, paulo-
 „post hi duo Doctores gratiam effica-
 „cem & sufficientem in sensu Thomista-
 „rum scriptotenus profiteri compulsi
 „sunt. II. Quia Laleus & Rivettus in
 „suis lectionibus gratiam juxta Tho-
 „mistarum idioma explicarunt, hinc
 „Molinistæ absdubio eos traducerent
 „tanquam Viros, qui haberent *pondus*
 „& *pondus*. III. Quia explicatis hisce
 „thesibus nostrarum partium esse cen-
 „suimus, ut earum censuram præpe-
 „diamus; nemo enim adeo temerarius
 „erit, ut theses a Thomistarum doctri-
 „na haud discrepantes censuris perstrin-
 „geret, nisi novas, ineptas & D. Au-
 „gustino incognitas phrasas adhiberet,
 „& quia thesium Auctor juxta ejusdem
 „Doctores & totius venerandæ antiqui-
 „tatis

Sæc. XVII. „tatis mentem loquitur. IV. Quia in
 A. C. 1691. „nostra explicatione non recessimus
 „a modo, quo tu mentem tuam in dis-
 „sertatione tua Theologica, & Wend-
 „rokius in suis notis ad Montalti
 „Epistolas explicavit. „

§. VI.

*Alicæ horum trium Doctorum pro-
positiones.*

Argentre
l. c.

Pariter Molinistæ ex trium horum Do-
 ctorum epistolis viginti & unam
 propositiones extraxere, quarum pri-
 ma erat hæc: „Libertas indifferentiæ
 „in natura corrupta est nil nisi Chimera
 „& humanum inventum, seu Pelagianæ
 „Philosophiæ reliquiæ.

II. „Sine gratia efficaci non solum
 „nihil boni agimus, sed nequidem a-
 „gere possumus, & qui contrarium te-
 „net, est Semi-Pelagianus. „

III. „Circa gratiam sufficientem
 „existimo, quod quidam Vir doctus de
 „ea vere judicaverit, dicendo, Moli-
 „nistarum gratiam sufficientem esse er-
 „rorem (ego autem dico esse hæresin)
 „& Thomistarum esse insaniam. „

IV. „Nullus infidelis potest crede-
 „re, nisi per gratiam, quæ cor ejus
 „immutat, ut facit, ut ab infidelitate
 „ad fidem transeat: certum est, quod
 „hanc

„hanc gratiam non habeat, quamdiu
 „infidelis manet.,”

Sæc. XVII.
 A. C. 1691.

V. „Certus sum, quod Yprensis Epi-
 „scopus duntaxat per factiones Moli-
 „nisticæ catervæ damnatus fuerit, ac
 „nunquam aliam doctrinam, quam D.
 „Augustini circa gratiam tenuerit,
 „credo etiam, quod Pontificum nullus
 „magis aperte demonstrarit suam fal-
 „libilitatem, quam per condemnatio-
 „nem quinque propositionum *in sensu*
 „*a Jansenio intento.*.,”

VI. „Alexander VII. sua Constitu-
 „tione Evangelicæ doctrinæ de gratia
 „vulnus nondum bene obductum in-
 „flixit.,”

VII. „Nec datur nec dari potest in
 „statu naturæ corruptæ gratia mere
 „sufficiens, distincta a gratia efficaci.,”

VIII. „In statu infirmitatis, in quo
 „sumus, nullus recipit gratiam sufficien-
 „tem, ad quam non sequatur actus,
 „respectu cuius appellatur sufficiens.,”

IX. „Fatendum est, quod nullus
 „peccator se convertere possit sine gra-
 „tia particulari, aut speciali adjutorio,
 „quod facit, ut ejus voluntas a malo
 „ad bonum transeat, nec datur ejus-
 „modi auxilium, nisi quando se effe-
 „ctive convertit.,”

X. „Cum dentur justi, in quibus
 „nec concupiscentia est devicta, nec

B 3

„igno-

Sæc. XVII. „ignorantia destructa, inferendum est,
A. C. 1691. „quod auxilium sufficiens non detur
 „omnibus justis, prout ambæ Facul-
 „tates Duacensis & Lovaniensis toto
 „Orbe celeberrimæ deciderunt.„

XI. „Nec minus evidens est, quod
 „gratia, quæ ad posse adjuvat, non sit
 „omnibus data: & quod non omnes
 „diligant justitiam; principalis enim
 „& primus effectus gratiæ, quæ adju-
 „vat ad posse, est, ut amorem justitiæ
 „fortissimum inspiret, & sine hoc amore
 „justitiæ homo est impotens ad adim-
 „plenda, prout oportet, præcepta.„

XII. „Cum obdurati non habeant
 „gratiam sufficientem, quia carent ea,
 „quæ cordis duritiem & cæcitatem
 „tollat, ita etiam justi non habent cun-
 „cta auxilia sufficientia, quia non ha-
 „bent gratiam, quæ concupiscentiæ
 „victrix esset, & eos ab ignorantia li-
 „beraret.„

XIII. „Theologi moderni, uti vide-
 „tur, in hoc decipiuntur, quod credant,
 „non esse in potestate illius, qui vult,
 „non velle, saltem nisi possit aut actum
 „suæ voluntatis suspendere, aut om-
 „nino ab actione cessare.„

XIV. „Etsi voluntas semper ageret,
 „& non posset nec penitus ab actione
 „cessare, nec suam actionem suspen-
 „dere, hæc propositio conditionata
 „tamen

„tamen esset vera: *Si voluntas non vel-* Sæc. XVII.
 „*let, non ageret, & agit, quia non vult,* A. C. 1691.
 „& hoc sufficit, ut dici possit, quod
 „omissio hujus actus sit vere in pote-
 „state voluntatis, & quod ipsa illius
 „sit Domina. „

XV. „Ut ergo omissio sit in mea
 „potestate, non est necesse, ut possim
 „velle non agere, sed sufficit, ut possim
 „velle agere, & actio sequatur meum
 „velle. „

XVI. „Utriusque Doctoris SS. Au-
 „gustini & Thomæ axioma est, quod
 „necessitas, quæ ab inclinatione na-
 „turali provenit, non impediat liber-
 „tatem: jam vero hæc necessitas est
 „certa determinatio ad aliquid in par-
 „ticulari, quæ provenit ab interno
 „principio, sive demum sit inclinatio
 „naturalis, aut acquisita, aut infusa. „

XVII. „P posse mereri separatim
 „sumptum a posse demereri, non petit,
 „nisi libertatem, quæ consistit in non
 „faciendo necessario talem actum in
 „particulari: quod optime compatitur
 „cum necessitate, quæ est effectus in-
 „clinationis naturalis, indeque prove-
 „nit, quod amor in Beatis erga Deum
 „ex natura sua sit meritorius, eoque
 „magis sit actus liber & humanus. „

XVIII. „Prædeterminatio specialis,
 „quæ homini in præsentis statu infir-
 „mita-

Sæc. XVII „mitatis necessaria est, impedit, ne
A. C. 1691. „actio sit in potestate suæ voluntatis. „

XIX. „Dicere, quod *Status natura*
„*puræ sit impossibilis*, est propositio nulli
„censuræ obnoxia: verosimile enim
„est, quod Deus hominem extra sta-
„tum justitiæ creare non potuerit, id
„est, creare concupiscentiæ subjectum
„& sine gratia originali, quæ eam
„reprimeret. „

XX. „Quod fit contra legem, fem-
„per est peccatum; nec excusatur quis,
„si dicat, quod egerit juxta suam con-
„cupiscentiam: nulla ergo dari potest
„legis naturalis ignorantia invincibilis,
„excusans penitus a peccato eum, qui
„ex ignorantia agit: Aliter dicendum
„de lege positiva: hæc est doctrina SS.
„Augustini & Thomæ. „

XXI. „Qui se credit sub reatu pec-
„cati mortalis obligatum ad actum,
„qui reipsa est peccatum mortale, pec-
„catum committit, sive agat, sive non
„agat, ac propterea dicendum non est,
„quod hic sit perplexus: potest enim
„& tenetur, ex suo errore egredi. „

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

§. VII.

*Doctorem Theses ac propositiones a
Sorbonæ & Navarræ Theolo-
gis censuris perstrictæ.*

Dum interea Duacenses hi Theologi a personato hoc Arnaldo per integrum ferme annum ludificati fuerant, ipse cum aliis Harlæum Parisiensem Archiepiscopum accessit, eique non modo eorum epistolas, ac propositiones inde excerptas, sed præcipue eorum iudicium desuper latum exhibuit, totiusque hujus ludi seriem eidem manifestavit: mox ergo Archiepiscopus Patris de la Chaise Jesuitæ consilium expetebat, cujus suafu rem totam Ludovico Franciæ Regi exposuit: ne vero Jesuitæ hujus doli auctores crederentur, Tournelium instigabant, ut se tam captiosi commenti Architectum profiteretur: Rex vero mox Archiepiscopo in mandatis dedit, ut designatis decem Sorbonæ & Navarræ Doctoribus cuncta Duacensium scripta rigide discutienda traderet, atque ab eis peteret, ut declararent, an in eis quædam deprehenderent, quibus errores ab Innocentio X. & Alexandro VII. in Constitutione contra quinque Jansenii propositiones damnati innovaren-

B 5

tur:

Sæc. XVII. tur: Hi ergo Doctores hoc anno die
A.C. 1691. vigesima sexta Decembris post matu-
 rum, exactumque examen pronuntia-
 runt, quod in Duacensium scriptis plu-
 res contineantur articuli, in quibus
 diserte doctrina trium priorum Janse-
 nii propositionum damnata innovetur,
 & præfatorum Pontificum Constitutio-
 nes verbis etiam iniquissimo joco ple-
 nis atque injuriosis impugnentur: Ex-
 torta hac Parisiensium Doctorum sen-
 tentia Molinistæ toti in eo erant, ut
 Laleum, Lingium, Rivettum, Malpe-
 sium, aliosque sibi suspectos a Dua-
 censi urbe & Academia ejicerent; ut
 vero omnem declinarent strepitum,
 omnemque accusationis intentatæ su-
 spicionem a se amolirentur, novum
 artificium excogitarunt, rursus perso-
 nati Arnaldi ope usi: Hic ergo datis
 ad Lignium literis eidem exposuit,
 quod opportuna occurreret occasio,
 qua apud quemdam sanctissimum Fran-
 ciæ Episcopum, qui nonnisi Sanctum
 Augustinum in corde & ore habet, col-
 locari, ac demum in ejus Seminario
 Theologiam docere posset: proxime
 ergo Lignius omnia sua scripta libros-
 que Valencianas ad cauponam mitte-
 ret; eos tamen nonnisi cuidam juveni,
 nomine Antonio de Bois consignari fa-
 ceret, ea duntaxat lege, si præfatus
 juvenis epistolam latori exhibuerit, in
 qua

qua hæc verba legerentur: *Non nobis* Sæc. XVII.
Domine, sed nomini tuo da gloriam: Pa- A. C. 1691.
 ruit Lignius doli ignarus; & tertia post
 hebdomada falsus Arnaldus datis lite-
 ris, ejus libros feliciter ad destinatum
 pervenisse locum, Lignio significavit,
 eique auctor exstitit, ut habita publica
 disputatione primam Doctoratus lau-
 ream emeretur, ut hoc honore cla-
 rus Seminarii Cathedram majore cum
 applausu moderari posset, postea vero
 ipsum Arnaldum Parisiis in Seminario
 S. Maglorii conveniret, si vero eum
 ibidem non reperiret, itinere Tolosam
 facto Carcassonem peteret, ibidem a
 Cathedralis Ecclesiæ Decano ad Epi-
 scopum deducendus: Præscripsit Li-
 gnio ipsemet personatus hic Arnaldus
 pro obtinendo Doctoratus gradu futu-
 ræ disputationis theses, quæ omnes
 propositionibus proxime allatis omnino
 consonæ erant: Obtemperavit iterum
 Lignius, obtentaque laurea exeunte
 Mense Majo hujus anni Duaco Parisios
 venit, cum tamen ibi Arnaldum repe-
 rire haud posset, Carcassonem venit,
 ubi sese tandem a ficto Arnaldo dece-
 ptum fuisse, ingemuit: Postquam igi-
 tur Molinistæ Lignum tam feliciter
 amovissent, ceteros quoque perdere
 intenti erant: rursus igitur e mentitus
 Arnaldus datis ad eos literis exposuit,
 quod

Sæc. XVII. quod Lignius ipsemet a suo famulo om-
 A. C. 1691. nibus libris, & literis spoliatus fuisset,
 atque hic idem sceleratus homo om-
 nes eorum literas ad Regem detulisset,
 ab eoque literarium commercium,
 quod ipsi cum eo hucusque habuissent,
 tanquam abominandum fuerit credi-
 tum, eoquod nimis aperte de S. Au-
 gustini doctrina, & nimis audacter de
 Jesuitis locuti fuissent, proin nil con-
 sultius censeret, nisi ut ceteri fuga suæ
 libertati consulere: Sub idem ferme
 tempus personatus ille Arnaldus, ejus-
 que complices scriptum sub hoc titulo:
Epistola Duacensis Doctoris in causa suæ
Universitatis in vulgus sparsere, paulo-
 post prodiit eadem epistola sic inscri-
 pta: *Arnaldinæ factionis arcana recens*
deteclta: ibi judicium circa septem illas
 theses, approbantium nomina, & plu-
 rium epistolarum, quas ad fictum Ar-
 naldum dedissent, fragmenta omnium
 oculis exposita erant: mox etiam Jesuitæ
 ubique inclamabant, in hoc libello *no-*
væ sectæ articulos, & arcanum novæ Ec-
clesie symbolum contineri, atque Arnaldum
novum Evangelium, novamque Ecclesiam
super rudera Ecclesie Christi erigere: Ad
 hujus rei famam obstupuere Duacen-
 ses, verusque Arnaldus comperta Im-
 postoris fraude apud Atrebatensem Epi-
 scopum, & Leodiensem Principem
 vehe-

vehementer questus, duas literas ad Sæc. XVII.
A. C. 1691.
Jesuitas scripsit, in quibus eos hujus
doli aut Architectos, aut operarios
traducens, fictum hunc Arnaldum,
Angelum Sathane, Diaboli organum &c.
appellitabat.

§. VIII.

*Hi doctores Regis jussu in exilium
amandati.*

Postquam hi Duacenses Doctores se
tam turpiter delusos compererant,
Regis indignationem veriti, se paratos
exhibuere, ut suam subscriptionem re-
vocarent, propositionesque detestaren-
tur, quinimo suis propriis literis con-
victi, ac pœnarum metu territi for-
mulæ simpliciter subscripserunt, quo-
niam vero pro more suo juramentum
ita interpretati essent, ut supra solas
quinque propositiones, non autem su-
per sensum ac librum Jansenii caderet,
aliunde vero Belgii Præsules & Pa-
riensis Archiepiscopus huic interpreta-
tioni acriter obsisterent, hinc Franciæ
Rex facti promissi sinceritatem jure sibi
suspectam habens, hosce Doctores in
exilium detrudi jussit: Igitur præpri-
mis Gilbertus ex S. Quintini oppido,
ubi jam exul morabatur, ad alpes
sancti Flori, ac inde Tiernium abduce-
batur;

Sæc. XVII. batur; postea in arce *Incisæ Petræ* in
 A. C. 1691. clusus. *Laleus* vero *Cenomanum*,
 Rivettus *Constantiam* in *Normania*,
 Malpesius ad *Santones*, & *Lignius*
Turonium patria extorres expulsi sunt.
 Hæc demum erat catastrophe improbi
 hujus lus, a cujus Auctore animi
 honestas, sinceritas, integritas, pro-
 bitasque longe exulabant, delusi autem
 nimis luculenter testati sunt, quod tan-
 to tempore Pontificibus, Episcopis,
 eorumque decisionibus, & Senatuum
 decretis illuserint, dum reipsa, ac pro-
 priis verbis, & confessionibus etiam
 Notarii auctoritate signatis professi sunt
 erroneam doctrinam, quam tamen per-
 versa simulatione per plurimos annos
 nonnisi merum phantasma, hostium
 suorum commentum, ac puerorum
 terriculamentum esse sparserunt.

§. IX.

*Varia consilia pro componendis reli-
 gionum dissidiis.*

*Op. Posth.
 Bossuet-
 Vol. I.*

Jam longo abhinc tempore in Imperii
 comitiis pro sedandis religionum tu-
 multibus, quibus *Germania* miserum
 in modum discindebatur, varia agitata
 fuere consilia: Præprimis vero *Leo-
 poldo* Imperatori præplacuit illorum
 consilium, qui per amica colloquia
 Pro-

Protestantes ad veritatis agnitionem pertrahi suadebant: Hanc in rem Leopoldus Cardinalis Colonitius & Neostadiensis Episcopus jam sæpius cum Prædicantibus conferebat, totusque in eo erat, ut tam his, quam ceteris Protestantibus infectam suæ sectæ originem, atque errores detegeret: ut vero idem Episcopus majore auctoritate hoc negotium promovere posset, Imperator eidem hoc anno Cæsareum transmisit diploma, vi cujus Religionis negotia *cum omnibus statibus, Communitatibus omniumque suorum Regnorum subditis* pertractandi plenam concessit potestatem: Præferebant ipsimet Protestantes concordiæ desiderium, ac propterea inter ceteros suos Prædicantes præcipue selegerunt Molanum Hannoverani Consistorii Directorem, quocum Neostadiensis Episcopus frequens quidem habuit colloquium, uberio-rem tamen segetem sibi pollicebatur, si in laboris societatem vocaret Benignum Bossuetium Meldensem Episcopum, longe celeberrimum Vineæ Evangelicæ Operarium. Hic jam anno priori contra Jurieum Calvinianum Prædicantem decertans, sectæ hujus fundamenta penitus everterat, atque ex frequentis conflictus usu didicerat, ad convincendos Protestantes nil effi-
caci-
caci-
caci-

Sæc. XVII.

A. C. 1691.

Sæc. XVII. cacius esse, quam ut Ecclesiæ infal-
A. C. 1691. libilitatem agnoscere; adstringantur,
quocirca Neostadiensi Episcopo cete-
risque Doctoribus auctor exstitit, ut
præprimis Protestantes circa dogma
de Infallibilitate Ecclesiæ convinceren-
tur, ac postea sepositis præconcepta-
rum opinionum studiis integra fide di-
scutere juberentur ea, quæ Ecclesiæ
aut credit aut damnat: animis autem
ita dispositis, insuper eis permittere-
tur, ut omnes Augustanæ Confessio-
nis articulos ipsimet *reformare* possent,
sub specie eos declarandi, aut expli-
candi, ut hac ratione *retractationis* facta
calumniam declinent. Facta autem
hac correctione veluti in Synodo con-
venirent, eo fine, ut Concilium Tri-
dentinum suo etiam suffragio approba-
rent, illudque eorum quoque accessu
Oecumenicum facerent, prout illud
quantum ad omnes Ecclesias Catho-
licas jam tale est. Denique Bossuetus
nomine totius Ecclesiæ Protestantibus
pollicebatur, quod Ecclesia circa ar-
ticulos disciplinam concernentes erga
Protestantes conversos omni ea indul-
gentia sit usura, quam filii imbecilles
quidem, dociles tamen a Matre tener-
rimo affectu eos complectente merito
expectare possent: Verum salutaris
hujus consilii successum, spemque in-
tercidit

tercidit suis cavillationibus Gottfridus Sec. XVII.
 Guilielmus Leibnitzius Imperialis Senatus A. C. 1691.
 Consiliarius, qui a pacis studio ~~seculum hunc hunc~~
 longe alienus sese importunius huic
 negotio ingessit, voluitque, ut præ-
 primis sub certis conditionibus Catho-
 licos inter & Protestantes reunio fie-
 ret, ac postea de fidei dogmatibus con-
 veniretur: Magis æquum, ac pacifi-
 cum sese monstraverat Molanus, cujus
 tamen propositus uniendi modus a ce-
 teris rejiciebatur, proin totum hoc
 negotium successu caruit. Nihilomi-
 nus tamen Episcopus Neostadiensis re-
 ligionem Catholicam propagare, &
 hæreticos ad eam reducere, reductos-
 que suis sumptibus juvare, eisque om-
 nem opem ferre non destitit, hancquæ
 in rem occultato suo nomine jam ante
 decem annos suam Augustanam, &
 Anti-Augustanam Confessionem edi-
 derat, quam tamen Valentinus Alber-
 tius Lipsiæ refellere moliebatur.

§. X.

*Quædam Cartesianæ opiniones jussu
 Regis a Parisiensi Universitate
 proscriptæ.*

Eodem hoc anno Harlæus Parisiensis
 Archiepiscopus Ludovicum XIV.
 Franciæ Regem convenit, eidemque
Hist. Eccles. Tom. LXVI. C re-

Sæc. XVII. retulit, a quibusdam Parisinæ Universitatis Professoribus opiniones sanæ doctrinæ contrarias tradi: Rex igitur fidei puritatem conservare intentus, injunxit, ut ejus nomine Archiepiscopus Rectori significaret, quod Rex præfatas sententias ex Cartesii sententiis deductas omnino a scholis eliminari præcipiat: Erant autem sequentes propositiones.

I. Abjicienda sunt omnia præjudicia, & priusquam cuicunque cognitioni adhæreatur, de omnibus dubitandum est.

II. Dubitandum quoque, an existat Deus, usque dum clara habeatur cognitio.

III. Ignoramus, an non Deus non ita creare voluerit, ut etiam in rebus quæ nobis clarissimæ videntur, decipiamur.

IV. In rebus Philosophicis non est curandum de malis consequentiis, quæ ex quadam sententia deduci possunt contra fidem, ac si cum ea incompatibilis videatur: non obstante hoc, huius opinioni inhærendum, si evidens videatur.

V. Corporum materia nihil aliud est, quam ipsorum extensio, nec hæc sine altera esse potest.

VI. Fi

VI. Fides, spes & charitas, & generaliter omnes habitus supernaturales nil spirituale sunt distinctum ab anima, sicut nec habitus naturales nil sunt spirituale distinctum a spiritu & voluntate.

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

VII. Rejiciendæ sunt omnes rationes, quibus Theologi & Philosophi hucusque cum S. Thoma ad demonstrandam Dei existentiam usi sunt.

VIII. Omnes infidelium actiones sunt peccata.

IX. Status naturæ puræ est impossibilis.

X. Ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat a peccato.

XI. Homo liber est, dummodo cum ratione & plena cognitione agat, etsi necessario ageret.

Ut ergo Universitatis Rector Regis mandato pareret, die vigesima octava Octobris omnes Philosophiæ Professores convocavit, eisdem præcipiens, ut cuncti cum plena submissione Regiæ suæ Majestatis mandato obtemperarent, ac præfatas propositiones nequaquam traderent, & quoniam ex ipsis nullus prohibitis sententiis ac doctrinis cujuscunque Authoris sive Philosophici sive Theologici nec directe nec indirecte favere intendat, iterum polliceantur, quod semper eas abhorrere, & quæstiones

Sæc. XVII. a fana Philosophia absonas, atque ex-
 A. C. 1691. pressionem, quibus se circa hanc ma-
 teriam suspectos reddere possent, de-
 clinare velint: Nihilominus tamen
 compertum fuerat, quod progressu
 temporis quidam Philosophiæ Profes-
 sores Cartesii opiniones adoptarent,
 hinc die trigesima prima Decembris
 anno hujus sæculi nonagesimo tertio
 in comitiis generalibus Societas Sor-
 bonica hoc decretum edidit: „Cum
 „relatum esset ad Societatem, non-
 „nullos Philosophiæ Professores, ex
 „iis etiam aliquando, qui ad Societa-
 „tem anhelant, novas quasdam Doctri-
 „nas in Philosophicis sectari, minus
 „que Aristotelicæ Doctrinæ studere,
 „quam hætenus usurpatum fuerit in
 „Academia Parisiensi, censuit Societas
 „injungendum esse illis, imo & iis
 „qui docent Philosophiam in Collegiis
 „suo regimini creditis, ne deinceps
 „novitatibus studeant, aut ab Aristo-
 „telica Doctrina deflectant.,,

§. XI.

*Eucharistiæ articulus a Patriarcho
 Constantinopolitano denuo
 stabilitus.*

Jam dudum Joannes Caryophilus Lo-
 gotheta de fidei suæ sinceritate non
 paucis

paucis suspicandi ansam præbuerat; Sæc. XVII.
A. C. 1691.
 plura enim edidit scripta, in quibus
 motis variis difficultatibus, seu potius
 cavillationibus plures fidei articulos
 subdole impetebat, & quidem sub spe-
 cioso dubium movendi obtentu ipsum
transubstantiationis nomen arguebat:
 cum autem Callinicus Patriarcha Con-
 stantinopolitanus haud obscure depre-
 henderet, quod Caryophilus sub hoc
 velamine Cyrilli Lucaris errores jam
 antea damnatos innovare, ac stabilire
 moliretur, hinc convocato Episcopo-
 rum conventu Parthenii olim Constan-
 tinopolitani Patriarchæ confessionem
 orthodoxam anno hujus sæculi septua-
 gesimo secundo editam confirmavit,
 Caryophili vero scripta damnavit.

§. XII.

Rex Franciæ ubique victor.

Ineunte hoc anno Catinatus Franciæ Hode Hist.
de Louis
XIV. t. 3.
lib. 48.
 Marefcallus Mommelianum Sabau-
 diæ urbem lento obsidio ad deditionem
 compellere intentus, tandem Mense Hist. du
Princ. Eug.
l. 2. p. 139.
 Novembri ea potitus est: postea vero
 Nicæa Aveniana & Carmaniola ex-
 pugnat, trans Padum profectus, ad
 Salutias castra metatus est, Taurinum
 denuo oppugnaturus: mutato tamen
 consilio, & Carmaniola a foederatis

Sæc. XVII. recuperata, Feuquierio in [mandatis
A. C. 1691. dedit, ut Cuneum validissimum oppi-
 dum obsideret. Hic ergo die decima
 quinta Julii urbem cum decem Gallo-
 rum millibus infestat; ast gemino assal-
 tu frustra tentato, Eugenii Principis
 adventum fortunamque veritus, amissis
 suorum plusquam tribus millibus,
 relictaque machinarum atque impedi-
 mentorum parte maxima indecore au-
 fugit: paulopost etiam Maximilianus
 Emanuel Bavarix Elector rursus Gal-
 lis Fossanum, Savillianum & Salucias
 eripuit: In Belgio tamen Francix Rex
 post quindecim dierum obsidionem
 Montes Hannonix expugnavit, ac Leo-
 diensi urbe ignivomo globorum gran-
 dine penitus devastata Lucemburgus
 Francix Marescallus Hallam subegit,
 cunctaque ejus munimenta solo æqua-
 vit, demum Leuzam contendens,
 foederatos fudit, fugavitque, ad cete-
 ras vero Belgii urbes emissis incendia-
 riis aditum sibi facere moliebatur,
 quorum tamen plusquam centum par-
 tim Bruxellis, partim Brugis, Lovan-
 nii, Mechlinix & Antverpiæ captis sua
 spe frustratus est. Nec minus pro-
 spere in Catalonia pugnabat contra
 Hispanos Noaillius Dux, qui Urgella
 urbe post octiduanam aggressionem ex-
 pugnata nongentos prædarios in
 capti-

captivitatem abstraxit, totaque Cata-
 lonia sibi subjecta Barcinonem & Alo-
 nam præcipuas hujus Provinciæ Ur-
 bes globis ignivomis misere foedavit,
 a Rhoda tamen, detecta Præfecti pro-
 ditione exclusus, hanc urbem primum
 anni sequentis die nona Junii deditio-
 cepit. Tot vero cladibus irritati Hispani
 in Gallos ibidem degentes tumultuaria
 seditione insurrexere, eosque suis fa-
 cultatibus exuerunt: hæc tamen sedi-
 tio Lobcovitii Oratoris Cæsarei opera,
 & Oropesæ Ducis primarii Ministri ex-
 auctoratione paulopost sedata est. At-
 tamen bellum admodum segne hoc
 anno erat ad Rhenum; cum enim ibi
 mediocris Gallorum exercitus esset,
 Lorgius eorum Bellidux magna ag-
 gredi minime ausus, nonnisi variis di-
 verisque itineribus huc illuc castra ac-
 minas circumferebat: Moguntiam ta-
 men intercipiendi spem faciebat qui-
 dam Cæsareus quæstor, qui Lorgio
 per literas significabat, quod consti-
 tuta die sub stipendii numerandi ob-
 tentu præfidiarios educturus esset, per
 eandem ergo portam Galli in urbem
 irrumperent: interceptis autem hisce
 literis Quæstor capitis obtruncatione
 poenam suæ perfidiæ luit, & Lorgius
 infecta re Rhenum trajicere coactus est.

Sæc. XVII.
 A. C. 1691.

Sæc. XVII.
A. C. 1691.

§. XIII.

*Turcæ apud Salankemeni oppidum a
Cæsareis ingenti clade affecti.*

*Wagner
Hist. Leop.
h. 12.*

Superioris anni infaustam belli fortunam reparabat secundior hujus anni expeditio contra Turcas in Hungaria; quamvis enim Cuproglus novus Vezirius, Vir virtute ac prudentia insignis, præter Spahiorum sex millia, plusquam nonaginta duo armatorum millia, non computatis Tartaris in suo exercitu recenseret, ac Leopoldus Cæsar ægre quinquaginta millia contrahere posset, Badensis tamen Marchio suorum fortitudini confisus, hostem aggredi statuit: Igitur aciem prope Salankemenum tam opportune explicat, ut a tergo flueret Danubius, dexteram præfatæ urbis ager, lævam vero vallium hiatus contegerent: Iniquissimo autem fato contigit, ut Bucquoia legio inter ceteras lectissima, cum ob impedimentorum molem exercitum assequi non posset, a Spahiis circumventa penitus deleretur, ac insuper Vezirius noctu in acclivi ad Danubium colle castra locaret; hoc enim castrorum situ a Petrovaradini comœatu intercisus erat Cæsareus exercitus, proin aut fame pereundum, aut prælio

lio vincendum erat. Nihilominus Ba- Sæc. XVII.
 densis ex desperatione animum acuens, A. C. 1691.
 die decima quinta Octobris pugnae li-
 gnum dedit: Dextrum cornu primo
 procursu avidius in hostem irruit, ast
 continente globorum procella excipi-
 tur: accurrit Equitatus, & generoso
 mortis contemptu vallum superare con-
 nititur, Cæsarei tamen hostium numero
 obruti, & densissima pilarum tempe-
 state prostrati sese recipere parant, quo
 conspecto Turcæ turmatim affluentes
 perfractis ordinibus ingentem edunt
 stragem. Badensis illico quasdam le-
 giones submittit auxilio, confusosque
 peditum ordines restituit: Graviter e-
 tiam laborabat media acies, in quam
 Spahii tantam dedere impressionem,
 ut integræ cohortes trucidatæ jace-
 rent, tempestive autem Barfufius hu-
 jus aciei Ductor adductis suppetiis spar-
 sos collegit, aciemque restauravit:
 Tardius quidem Dunewaldus cum suo
 agmine in pugnam venit, sed hæc ipsa
 cunctatio Cæsareis saluti fuit; com-
 perto enim proximæ cladis periculo
 hostem a tergo aggredi statuit: ejus
 igitur jussu Hoffkirchius Comes per
 avia & invia ad aversum hostilium ca-
 strorum vallum contendit, fusoque
 Töckelio, qui pone in tumulo excuba-
 bat, tacito gressu in vallum penetrat.

Sæc. XVII. nequidem observatus a Turcis, qui
 A. C. 1691. hostem pro Töckelianis aspexere: ubi
 vero a tergo ingentem globorum gran-
 dinem depluere senserant, novum exer-
 citum instare rati, tanto pavore obruti
 sunt, ut Equites effusis habenis con-
 fertim erumperent: Starenbergius ex
 trepido vexillorum motu hostium fu-
 gam conjectans, mox cum suis certa-
 men instaurat, revulsoque vallo incer-
 tos, quo se verterent, urget: Pugnan-
 dum adhuc erat cum Janissaris prope
 integris; qui tamen dextri cornu im-
 pulsu a fronte tergoque circumventi
 post lanienam atrocissimam retrocedere
 cogebantur. Cecidere in hoc prælio
 ipsemet Ahmetes Cuproglius Vezirius
 & ferme centum varii gradus Belli-
 duces: Ex centum Turcarum millibus
 nonnisi triginta millia ex fuga Belgra-
 dum venire, pars magna dispersa,
 Janissarorum plerique trucidati, capta
 cum ærario castrensi tormenta centum
 quadraginta quatuor, præcipue duo
 Vezirii vexilla summo Pontifici Romam
 dono transmissa, & ferme innumera
 armorum, annonæ & jumentorum co-
 pia, ipsaque castra in prædam victori-
 bus cessere. Cecidere ex Christianis
 tria millia centum & septuaginta duo,
 faucii quater mille centum & viginti
 novem; Inter mortuos deplorabantur

Frideri-

Fridericus Augustus Holfatus & Arembergius Duces, alique inferioris dignitatis Tribuni numero quinquaginta tres. Souchius quoque non una victoria clarus haud multo post e vulnere extinctus est.

Jam antea Veteranius Bellidux Tartaros in Transylvania, & Töckelium in Valachia fudit, fugavitque, Croyus quoque Brodam Sclavoniæ urbem expugnavit, ac reliquam dein Sclavoniam & Gradiscam Cæsaris imperio denuo subjecit.

§. XIV.

Julii Spinolæ Cardinalis obitus.

Hujus victoriæ lætitiâ præripuit mors Julio Spinolæ Cardinali. Hic

Genuensis Patricius jam a puero Sacræ militiæ destinatus egregio studiorum profectu sese ad præclara Ecclesiæ obsequia jam dudum longe aptissimum reddiderat: Postquam enim vigesimo quarto ætatis suæ anno Laureatus Romanam venerat, jam ab Urbano VIII. in variis Ecclesiæ urbibus Prætor designatus, tantam prudentiam, ac magnanimitatem præsefererat, ut proscriptos rebelles, qui Provinciam dire vexabant, extirpandi onere gravatus, non modo hos exiguo temporis spatio

*Old. in cont.
Ciac.*

com-

Sæc. XVII. compesceret, & Nursiam Sabinorum
 A.C. 1691. urbem pacatam redderet, sed etiam
 expugnato Castro seditiones ubique
 exortas sedaret. His feliciter peractis,
 ab Innocentio X. Nuntius Apostolicus
 Neapolin decretus, ab Alexandro VII.
 Leodiceæ Archiepiscopus, ac demum
 pro comprobando Leopoldi Cæsaris
 connubio Viennam Legatus mitteba-
 tur, quo in munere tantam hujus Im-
 peratoris existimationem sibi compa-
 raverat, ut hic per literas immensis
 pene elogiis refertas Julium Romanæ
 Purpura decorari, enixe peteret. Tan-
 dem Julius Vienna Romam reversus,
 pluribusque Patrum cætibus ob exi-
 miam eruditionem adscriptus, ibidem
 Mense Martio ferme octogenarius
 decessit.

§. XV.

Antonii Bichii Cardinalis decessus.

Corn. relat. de la Cour de Rom. Eggs Purp. doct. p. 448. Præcesserat Julii obitum Antonius Bi-
 chius Patritius Senensis, Alexan-
 dri VII. Pontificis ex Sorore Nepos,
 qui emenso studiorum curriculo Fabium
 Chisium Coloniensem Nuntium in sua
 legatione secutus, ab eodem ob præ-
 claras animi dotes in laboris partem,
 & consiliorum communicationem as-
 sumptus est: Hujus Nuntii Apostolici

ma-

magisterio tantum profecerat Bichius, Sæc. XVII.
 ut Colonia reversus, ab Urbano VIII. A. C. 1691.
 in Belgium Legatus decerneretur, ubi
 non modo Lotharingii Ducis causam
 utiliter gessit, sed etiam Jansenii erro-
 ribus summa vigilantia, ac imperter-
 rito animi robore obstetit: Hoc mini-
 sterio præclare defunctus, in præmium
 operæ strenue navatæ primo Ecclesiam
 Montis Ilcini ab Innocentio X. & ab
 Alexandro VII. Auximanam Episcopus
 regendam suscepit, ubi totus fuit in
 sublevandis populis, in tranquillitate
 ubique conservanda, in restituendo Dei
 cultu plurimum neglecto, in extirpan-
 dis vitiis, & revocanda Ecclesiæ di-
 sciplina: Pastoralis huic labori intentus,
 ab eodem Pontifice Cardinalatus ho-
 nore & Urbini Legatione, pluriumque
 Congregationum subselliis exornari pro-
 meruit, tantaque prudentia, mansue-
 tudine, justitia & integritate hanc Pro-
 vinciam administravit, ut ejus memo-
 ria adhucdum in Urbinatis populi cor-
 dibus insculpta vigeat; præprimis enim
 leges Reipublicæ utilissimas condidit,
 Clerum populumque exorbitantem ad
 honestatem reduxit, & Pisauri portum
 jam dudum alluvionum & maris irati
 injuria navigiis impervium reseravit,
 & sicarios publicæ tranquillitati infestos
 sustulit, atque repressit: Postquam igitur

tur

Sæc. XVII. tur non modo Rectoris, sed maxime
A. C. 1691. optimi Parentis nomen sibi a singulis
 conciliaverat, post quinquenni labores
 publicos ad Ecclesiam suam Auxima-
 nam rediit; quam indefessa vigilantia
 usque ad obitus sui diem primam Fe-
 bruarii rexerat: Annum agebat ætatis
 suæ septuagesimum septimum. Scripse-
 rat præclaras, utilesque constitutiones
 pro Diæcesi Auximana præter mystica
 opuscula, orationes atque epistolas.

§. XVI.

*Joannes Franciscus Ginettus Car-
 dinalis mortuus.*

*Palat. fast.
 Card. l. 5.*

Quo die hoc anno Joannes Franciscus
 Ginettus naturæ debitum solverit,
 certo haud constat: Hic Veliræ anno
 Christi millesimo sexcentesimo vigesimo
 sexto natus, a Martio Ginetto Car-
 dinale Patruo suo Romam evocatus, in
 pietatis exercitiis, ac scientiis uberri-
 me enutritus erat: quapropter ab Ale-
 xandro VII. Cameræ Clericus, & postea
 Pontificii ærarii Præfectus nominaba-
 tur: demum ab Innocentio XI. æquif-
 simo meritorum Judice ob integritatem,
 aliasque præclaras virtutes Sacra Pur-
 pura, & Firmano Archiepiscopatu ho-
 noratus est: ubi etiam anno ætatis suæ
 sexagesimo quinto vivis valedixit, læ-
 boris

boris sui præmium in cælis præstolaturus.

Sæc. XVII.

A. C. 1691.

§. XVII.

*Raymundi Capisucchi Cardinalis
fata.*

Purpuratis hoc anno denatis adjungimus Raimundum Capisucchium, qui ex pervetusta Romana Familia Romæ natus, atque in Sacro fonte Camillus dictus, pietatem, optimamque indolem a suis parentibus hausit: Literis autem humanioribus cum maximo profectu instructus anno ætatis suæ decimo quarto Ordinis FF. Prædicatorum habitum obtento nomine Raymundi induit, evolutoque anno professionem Romæ emisit, ætatis veniam concedente Urbano VIII. Studiorum ibidem cursu emenso, per plures annos cunctis scholæ officiis functus, tandem Theologiæ Magister creabatur: Postea Vincentii Candidi Magistri S. Palatii Socius primo adscitus, tum ab Innocentio X. Indicis Secretarius, Episcoporum examinatus, ac demum sacri Palatii Magister renuntiabatur, incertum relinquens, an plus ornamenti ab hisce dignitatibus acceperit, quam ob sua merita eis reddiderit: Erat enim eruditione ac doctrina præstantissimus, inge-

Mandos. in

Bibl. tom.

Palat. fast.

Card. t. 4.

Baron apol,

t. 2. l. 5.

Sæc. XVII. ingenita morum suavitate, orisque Ma
 A. C. 1691. jestate omnibus longe acceptissimus

Nectamen æmulorum invidiam effugere poterat; hi ergo omnes malitiæ artes exhauriebant, ut Raymundum Alexandro VII. exosum redderent: occasionem captabant ex Vincentii Baronii libro (*) quem Raymundus approbabat, quamvis Author Jesuitas & præcipue Nithardum e Societate Cardinalem aggressus, eisdem doctrinæ moralis laxitatem exprobrasset. Hoc piaculare erat Raymundi crimen, propter quod tam acerbis vexationes subire cogebatur, ut ultro Palatii Apostolici Magisterio cederet, ac æmulorum iræ locum daret: Equidem Alexander VII. cognita Viri innocentia insignes offerebat Infulas, quas ipse tamen constanter recusavit, caussatus, Ecclesiæ haud satis consultum esse, si Episcopus præesset aliis, qui illum nondum fama in integrum reparata, reprehensibilem esse, putarent. Maluit igitur solitarius cum suis in Monasterio

(*) Huic libro titulus erat: *Ethices Christianæ septendecim loci, sive opinionum a legistantium necessarius ad salutem delectus vindicatus a novissimis dissertationibus fidei Amadæi Martini Esparzæ, Terilli, Honorati Fabricii Lucii, Bonæ spei & Egidii Estrix.*

nasterio Sacris Musis vacare, donec ab **Sæc. XVII.**
 eodem Pontifice primum a Magistro Or- **A. C. 1691.**
 dinis locum acceptare iussus, tandem
 a Clemente X. qui Raymundi merita
 Ecclesiæ necessaria censebat, ad pri-
 stinam Magisterii dignitatem, ceteros-
 que honores revocatus est, non sine
 communi omnium aggratulatione:
 Tum vero Raymundi virtus ex hisce
 tenebris emersa tam clare eluxit, ut
 Innocentius XI. ejus merita & præ-
 clara obsequia Sedi Apostolicæ præstita
 haud inferiore præmio, quam Romana
 Purpura compensari posse ratus, eun-
 dem Presbyteris Cardinalibus adscripsit,
 qua dignitate fulgens, nihil a pristino
 Ecclesiæ inserviendi studio remisit, sed
 plurimum Congregationum Collega in
 maxime arduis negotiis suam impen-
 dit operam: diem tandem supremam
 Romæ obiit vigesimam secundam Apri-
 lis, annos natus septuaginta quinque.
 Scripsit controversias Theologicas,
 Appendices ad easdem, censuram seu
 votum ad librum de cultu SS. Veteris
 Testamenti, Discursus de gradu virtu-
 tum in Sanctis Canonisandis requisito,
 Sacros sermones in Sacello Pontificio
 a variis habitos, vitam B. Joannis
 Chisii & B. Angelæ, orationem pane-
 gyricam in laudem D. Thomæ, Quæ-
 stiones Theologicas & dogmaticas,
Hist. Eccles. Tom. LXV. D Dife

Sæc. XVII. Dissertationem Historico-Theologicam
A. C. 1691. de hæreticis Prædestinarianis præter
plura alia nondum typis edita.

§. XVIII.

Principum atque Illustrum extrema

*Ill. Europ.
tom. 14.
Priet. An-
nal. cont.
Sæger Hist.
Eccles. p. 83.*

Hoc item anno Joannes Georgius III. Saxoniae Elector non sine maxi-
mo omnium luctu mortalitatem exiit,
cum enim in Cæsareis castris ad Rhe-
num malignæ febres tanta rabie gra-
sarentur, ut iis affecta essent decem
ferme armatorum millia, ipse etiam
Elector morbo oppressus, die decima
sexta Augusti e castris Tubingam de-
latus est, ubi demum die undecima
Septembris decessit, postquam non-
nisi annos quadraginta quatuor & dies
viginti inter mortales vixerat. Prin-
ceps erat de Germaniæ Republica opti-
me meritus, utpote qui ad Viennam
liberandam inter primos advolabat,
Gallorum violentiis strenue sese oppo-
nebat, & Leopoldum Cæsarem tan-
quam Patrem suum mirifice colebat.
Successorem habuit Filium suum Joan-
nem Georgium IV. Decessit etiam
Adrianopoli ex Apoplexia die vigesima
secunda Julii Solimanus Turcarum Im-
perator anno ætatis suæ quinquagesi-
mo: Pari fato & morbo sublatus est

die secunda Octobris Ratisbonæ Her-
 manus Badensis Marchio, qui annum
 ætatis suæ sexagesimum tertium in
 munere Cæsarei Principalis Commis-
 sarii ad Imperii comitia glorioso sine
 clauserat, sepultus ibidem in Ecclesia
 ad S. Emeramum: Hoc in munere
 successorem habuit Ferdinandum Au-
 gustum, Leopoldum Principem de
 Lobkovitz: Obiit etiam die decima
 nona Septembris in prælio ad Leuzam
 Joannes Georgius Princeps Anhaltino-
 Bernburgensis, qui annorum septende-
 cim Juvenis invicta fortitudine Gallos
 repressit, donec equo suo dejectus, a
 Gallis cinctus ac septem vulneribus
 faucibus occumberet. Denique inter
 foeminas ob sanctitatis famam cele-
 berrimas merito recensetur Maria de
 Cyz Leidensis Virgo, quæ a Calvini
 secta Deo mirabiliter vocante ad fidem
 Catholicam reversa hoc anno sanctis-
 sime decessit.

Sæc. XVII.
 A. C. 1691.

§. XIX.

*Varicæ Innocentii XII. Constitu-
 tiones.*

Cum Alexander VIII. morte præven-
 tus Canonisationis diplomata per-
 ficere haud posset, Innocentius XII.
 ejus Successor hoc anno historicam re-

*Bull. Magn.
 Const. in
 noe. XII.
 pag. 112.*



Sæc. XVII. lationem vitæ, mortis & miraculorum
 A. C. 1691. SS. Joannis de Deo, Joannis a S. Fa
 cundo, & Cajetani a Clemente X. in
 Sanctorum numerum relati die dec
 ma quinta Julii edidit, eorumque Ca
 nonisationem promulgavit: in Bullari
 tamen magno non habentur litera
 Pontificiæ Canonisationis SS. Laurent
 Justiniani & Paschalis Baylon. Eades
 quoque die Pontifex Conclavistis con
 fuetas gratias, & privilegia concessit
 Statuit præterea die decima octav
 ejusdem Mensis, ut Diæta intermedi
 Congregationis Ord. S. Benedicti Cal
 sin. biennio post celebratum Capitu
 lum Generale haberetur. Confirma
 vit die decima tertia Julii Innocentii XI
 decretum, quo statutum, ut nihil pe
 nitus a Fabrica Basilicæ S. Petri do
 naretur, nequidem ad titulum elec
 mosynæ, dum ipsa ingenti ære alien
 gravata dignoscitur, minusque deb
 toribus, vel aliis supplicantibus pro
 compositione quicquam remitteretur
 post applicationem & rem judicatan
 ad favorem prædictæ fabricæ, nisi con
 stet de vera paupertate, & impossibili
 tate solvendi. Concessit etiam die vi
 gesima octava Augusti indulgentias
 plenarias visitantibus Ecclesias fratrum
 Ord. S. Joannis de Deo in ejus Festo
 pariter die quinta Novembris revoc

vit exemptiones a vectigalibus, aliisque publicis oneribus. Sæc. XVII. A. C. 1691. Insuper die duodecima ejusdem Mensis indixit Jubilæum universale: die vigesima ejusdem Mensis præcepit, ut Clerici & Presbyteri incedant in habitu & tonsura, nec aliter celebrare permittantur, Sacrum vero non nimis prope-
 ranter peragant, nec in ædibus Canonicalibus mulieres habitare permittant, demum die prima Decembris omnes Regulares Apostatas ad reditum invitavit, ac poenas condonari præcepit.

§. XX.

Plures Sacrarum Congregationum decisiones.

Die decima tertia Januarii Sacra Decis. SS. Congr. Concil. Rit. Episc. &c. Concilii Congregatio declaravit, quod Capellanus seu Beneficiatus, cui reperitur injunctum, quod celebret annue unum Anniversarium quindecim vel viginti Missarum pro Anima Fundatoris, non teneatur curare, ut celebretur Missa cantata, quia nisi aliud exprimatur in fundatione, tale Anniversarium intelligitur de hisce Missis privatis eadem die anniversaria celebrandis in loco, ubi Capellano benevisum fuerit. Eiusdem Mensis die decima nona Episcoporum Congregatio

Sæc. XVII. decidit, quod Regulares in suis sup-
A. C. 1691. plicationibus non possint, nec debeant
 ducere puellas habitu fictitio Angelo-
 rum, & quod famuli, famulæque Mo-
 nialium etiam exemptarum nullum ha-
 beant privilegium, sed teneantur ad
 præceptum Paschale in Ecclesia Paro-
 chiali, in qua (alibi Sepultura non
 electa) sepeliantur, & infirmi a Parochi
 Sacramenta recipiant, & ad sepultu-
 ram associantur, non vero a Monia-
 lium Confessario. Congregatio autem
 Immunitatis die secunda Julii statuit
 ut absolutio a censuris ob violatam im-
 munitatem, libertatem, & Jurisdic-
 tionem Ecclesiasticam incurris ita summo
 Pontifici sit reservata, ut vacante sede
 Apostolica, desit potestas absolvendi.
 Decrevit quoque S. Rituum Congre-
 gatio die undecima Augusti, quod
 quævis dies octava B. V. debeat ha-
 bere integras utrasque vespervas in con-
 currentia Officii duplicis minoris: Con-
 cionator autem debeat prius salutare
 Canonicos, quam Governatorem Ci-
 vitatis: denique officia Sanctorum ra-
 tione Corporis aut insignis Reliquiæ
 recitanda, intelligantur de Sanctis
 duntaxat in Martyrologio Romano de-
 scriptis: in feria sexta autem post octa-
 vam Ascensionis fieri possit de officio
 semiduplici translato. Eadem S. Con-
 grega-

gregatio die decima quinta Septem-^{Sæc. XVII.}
bris declaravit, quod dignitates, & ^{A. C. 1691.}
Canonici semper teneantur in Missis
solemnibus, & Conventualibus præ-
cipue in diebus festis ex obligatione
Capitulari assistere sibi metipsis grada-
tim in ministerio Sub - & Diaconi:
Decidit quoque S. Concilii Congrega-
tio die decima quarta Novembris,
quod danda sit dispensatio irregulari-
tatis contractæ celebranti cum vin-
culo excommunicationis latæ contra
formam Conciliorum. Ejusdem Men-
sis die decima septima declaratum,
quod Parochi Ecclesiarum filialium te-
neantur accedere ad Benedictionem
fontis, & ad recipiendum oleum San-
ctum in die Sabbati Sancti.

§. XXI.

*Quorundam Eruditorum libri &
decessus.*

Duorum, qui ex Scriptoribus Catho-^{Du Pin}
licis hoc anno obiire, lucubrati-^{nouv. Bibl.}
nes recensere lubet: Hos inter primus ^{tom. 18.}
erat Antonius Josephus Mega Bene-^{pag. 208.}
dictinus ex Congregatione S. Mauri,
qui edidit S. Gertrudis Virginis, &
Abbatissæ Ord. S. Benedicti insinua-
tionum divinæ pietatis exercitia, Pa-
raphrasin Psalmorum cum fynopsi vitæ

Sæc. XVII. S. Davidis ex Psalmis, Commentarium in Regulam S. Benedicti, necnon vitam ejusdem sancti cum succincta Historia sui Ordinis, vitam S. Gertrudis, & dissertationem de Virginibus: Gallice etiam reddidit tractatum S. Ambrosii de Virginibus, de Virginum educatione, & perpetua Virginitate B. V. sicut & librum Jonæ Aurelianiensis Episcopi de *Institutione laicali*. Obiit die decima septima Martii anno ætatis suæ sexagesimo sexto. II. Bonifacius Maria Grandi Ord. FF. Prædicatorum edidit tres tomos *Cursus Theologici*.

§. XXII.

Scriptorum A catholicorum opera & decessus.

Carol. mem. Witte Biog. Ex Scriptoribus A catholicis occurrunt. I. Antonius Basnage, qui elucubravit exercitationes historico-criticas de rebus Sacris & Ecclesiasticis, necnon annales politico-Ecclesiasticas. II. Theophilus Spizelius Augustanus Præco typis vulgavit commentarium de re litteraria Sinensium, veterem Academiam Jesu Christi, examen cujusdam vaticinii Anglicani de ultimo Romæ excidio, tractatum de Atheismo eradicando, ejusque radice,

con

considerationem Corporis gloriosi, Templum honoris referatum præter alia nonnulla. III. Joachimus Hildebrandus elucubravit antiquitates ex Scriptura S. artem bene moriendi, Theologiam dogmaticam, Sacra publica veteris Ecclesiæ, ejusque Hierarchiam, & offertorium pro defunctis, tractatum de Templis & diebus festis, antiquitates de precibus, de veterum concionibus, & natalitiis ac nuptiis, de Religiosis, eorumque ordinibus necnon alia ad antiquitatum cognitionem perutilia. IV. Richardus Baxter edidit apologiam pro Non-Conformistis, polemica, libellum rationum pro religione Christiana contra Gassendum & Hobbesium, epistolam de generali Protestantium unione contra Papatum, tractatum de Catechisatione domestica, de justificatione & foederibus, de baptismo infantum, de jure Sacramentorum, de regimine Ecclesiæ, de Republica Sancta, de universali redemptione contra Calvinum & Bezam, præter alia plura. V. Daniel Hasenmiller scripsit Biblia parva Græca, dissertationem de linguis orientalibus, & Michaelis Pfelli dialogum de operatione dæmonum. VI. Daniel Georgius Morhof posteris reliquit Diatribam de morbis & eorum remediis historicam,

Sæc. XVII.
 A. C. 1693.

Sæc. XVII. cam, disputationem de jure silentii &
 A. C. 1692. de enthusiasmo, dissertationes duas de
 Theologia Gentili Politica, & de di-
 vinitate Principum, & nonnulla alia.

§. XXIII.

*Varia Innocentii XII. summi Pon-
 tificis gesta.*

*Theatr. Eu-
 rop. t. 14.
 Chron. Hist.
 cont. l. 12.*

Subsecuti anni Mense Januario Rabe-
 nacus Comes Franciæ Regis Ora-
 tor Romam venit, obtentaque alloqui
 copia coram summo Pontifice amplis-
 simis elogiis immotum, quo Rex sus-
 fereret, propagandæ fidei, & extol-
 lendæ Sedis Apostolicæ studium de-
 prædicabat, enixe efflagitans, ut Pon-
 tifex inito cum Italis Principibus fœ-
 dere Germanos ex Italia propelleret ac
 Germanos Principes contra Franciam
 unitos ad pacis consilia inducere nite-
 retur, eoquod hi religione A catholici
 ad extirpandam fidem orthodoxam fœ-
 dus inter se iniissent, & cum eis Au-
 striaca domus conjuncta Jacobum Ca-
 tholicum Angliæ Regem folio detur-
 basset &c. Nimis atroces erant hæc
 criminationes, ut a Cæsareo & Hispa-
 no Oratoribus dissimulari potuissent;
 quocirca hi summo Pontifici luculentis
 admodum argumentis demonstratum
 ibant, quod Galli inopina sua in Im-
 perium

perium irruptione non modo victricia Sæc. XVII.
 Cæsar's arma ab opprimendo Christiani A. C. 1692.
 nominis hoste averterint, sed etiam
 Turcas, Tartarosque, ac rebelles Hun-
 garos milite & pecunia non sine ma-
 xima multorum millium Christiano-
 rum cæde totiusque Catholicæ Rei-
 publicæ damno foverint, ac olim cum
 ipso Cronwello, publico Regni usur-
 patore, hæretico, ac Regicida foedus
 inierint, nunc vero Jacobum Angliæ
 Regem, qui tamen teste ipso Innocen-
 tio XI. ob præmaturum suum Zelum
 ipsemet infortunii sui faber existit,
 nonnisi infirmis auxiliis adjutum, si-
 mulque summis calamitatibus illius Re-
 gni Catholicos involverint &c. Hæc
 pluraque alia Oratorum dicta Pontifex
 pacato animo percipiens respondit,
 quod utpote communis omnium Pater
 nullius partis studia amplecti posset,
 sed potius dissidentes conciliandi offi-
 cium in se suscipere teneretur. Hoc
 responso irritatus Franciæ Orator Mense
 Februario Romam discessit, Liechten-
 steinius vero Princeps, ac Cæsar's Le-
 gatus urbem solemnî pompa ingressus,
 Papam adiit, validisque argumentis
 eidem exposuit, nil magis veritati dis-
 sonum esse, quam quod Augustanum
 Principum Germanorum foedus contra
 Gallos initum ad fidei Catholicæ ex-
 tirpa-

Sæc. XVII. tirpationem collimet: Sub idem quo-
A. C. 1692. que tempus exulis Jacobi Angli Regis
 Oratores supplicabant, ut Pontifex
 Hibernis Regem suum in Gallias co-
 mitantibus pecuniarum suppetias ero-
 gare dignaretur, quibus tamen Papa
 respondit, eos in odium fidei non fuisse
 expulsos, si tamen in Hungaria vel
 Morea contra Turcas militare vellent,
 se illis stipendia numeraturum: Nihilo-
 minus pientissimus Pontifex exulibus
 hisce Catholicis auri subsidium sub-
 misit, imo etiam Jacobo Regi triginta
 aureorum millia ad suscipiendam ex-
 scensionem, necnon Cæsari centies
 quinquaginta florenorum millia & to-
 tidem Poloniæ Regi ad Turcicum bel-
 lum donavit.

His peractis Pontifex procurandæ
 Urbis tranquillitati intentus, plures
 dissolutæ vitæ homines, qui tempore
 Bachanaliolorum variis petulantis of-
 fensionis erant, ad carceres raptari,
 imo etiam in Comitibus de Taxis Medio-
 lanensis Postarum Magistri ædes irrum-
 pi, ejusque duos Filios custodiæ dari
 jussit, eo quod die decima tertia Apri-
 lis, qua Pontifex pro more ad Basili-
 cam S. Joannis in Laterano, insigni
 Cardinalium, Procerumque equitatu ob-
 sequium præbente, contenderat, tur-
 bas concitassent: cum autem inde
 Hi-

Hispani Regis indignatio timeretur, Sæc. XVII.
 Pontifex utroque in libertatem asserto A. C. 1692.
 facti sui rationem reddidit.

§. XXIV.

*Ejusdem Pontificis Constitutio contra
Nepotismum.*

Magno item Religionis Zelo Pontifex Bull. magn.
Innoc.
 in eos, qui Molinosii erroribus fa-
 vere credebantur, inquire jussit, maxi-
 mam tamen gloriam sibimet compara-
 vit, dum habito Purpuratorum Senatu
 die vigesima secunda Junii Nepotismum
 damnavit, fugavitque ex Aula Romana
 publico diplomate, cujus tenor est se-
 quens. „Romanum decet Pontificem,
 „tanquam fidelem servum, & pruden-
 „tem, quem constituit Dominus super
 „familiam suam, in Ecclesiæ Catho-
 „licæ conspectu actum suum ita ordi-
 „nare, ut ipse quidem in diebus suis
 „placeat Deo, & inveniatur justus,
 „fiatque forma gregis ex animo, &
 „bonus sit Christi odor in omni loco:
 „Cæteri vero Antistites, & Ecclesia-
 „rum Prælati in partem Sollicitudinis,
 „cujus ei commissa est plenitudo, vo-
 „cati, aliique Christi fideles, quos cu-
 „ræ suæ divinitus creditos in visceri-
 „bus paternæ gerit charitatis, ejus
 „exemplo, atque præceptis caduca
 mundi

Sæc. XVII. „mundi hujus despicerè, carnisque, &
A. C. 1692. „sanguinis laqueos effugere, ac de
 „bonis, & rebus Ecclesiasticis juxta
 „æquitatis, & justitiæ leges disponere,
 „& spiritualium remigio alarum ad
 „cælestia contendere, atque evocare
 „auxiliante Domino condiscant. Hinc
 „ad ea Sacrorum Canonum instituta,
 „quæ Episcopis, ne bonis, & reddi-
 „tibus Ecclesiæ confanguineos suos
 „augere studeant, interdicut, confi-
 „derationis Nostræ aciem convertentes,
 „etiam Nobis in suprema Beati Petri
 „Apostolorum Principis, cui caro, &
 „sanguis non revelavit, sede constitu-
 „tis ab ipso Pontificatus Nostrî primor-
 „dio servandam proposuimus, & ha-
 „ctenus Deo adjuvante servare studui-
 „mus disciplinam, ut in bonorum, &
 „reddituum ad hanc sanctam sedem,
 „& Cameram Nostram Apostolicam
 „spectantium distributione justitiæ, at-
 „que prudentiæ leges, & regulas ac-
 „curate custodientes, summam meri-
 „torum, nullam autem carnis, & san-
 „guinis aut cujuscunque humani asse-
 „ctus rationem haberemus, & licet in
 „Dei misericordia speremus, tales No-
 „bis successores Romanos Pontifices,
 „qui non minus hac in parte, quam in
 „reliquis munus suum impleant, &
 „Ecclesiam universam spiritualium aro-
 „matum

matum odore perfundant; nihilomi-
 nus ea, quæ Nobis licere non pati-
 mur, aliis interdicare, salubremque in
 sancta Romana Ecclesia omnium Ec-
 clesiarum Matre, & Magistra circa
 præmissa normam, & legem consti-
 tuere, atque stabilire decrevimus.

§. I. Habita igitur super his cum
 Venerabilibus Fratribus Nostri-
 dem S. R. E. Cardinalibus delibera-
 tione matura, ac de illorum Consilio
 pariter, & assensu ad omnipotentis
 Dei gloriam, Apostolicæ Sedis hono-
 rem, ac Antistitum, Prælatorum,
 aliorumque Ecclesiasticorum ædifica-
 tionem, & bonum exemplum, hac
 Nostra perpetuo valitura Constitutione
 statuimus, atque decernimus, Salu-
 tarem hanc de cætero in dicta S. R. E.
 servari rationem, atque disciplinam,
 ut nec ab ullo Romanorum Pontifi-
 cum Successorum Nostrorum, ad fa-
 vorem Nostrorum, sive suorum re-
 spectu Fratrum, Nepotum aliorum-
 que quorumcunque Consanguineo-
 rum, seu affinium, sive illorum, quos
 in locum Nepotum, aliorumque Con-
 sanguineorum per Cooptationem in
 familiam, aut aliter adlegi, seu ad-
 scisci contigerit, de bonis, pecuniis,
 locis Montium vacabilium, & non
 vacabilium, officiis venalibus, illo-
 rum-

Sæc. XVII.
 A. C. 1692.

Sæc. XVII. „rumque pretio, creditis, redditibus,
 A. C. 1692. „rebus, & juribus quibuscunque ad
 „Sedem, & Cameram præfatas quo-
 „vis modo spectantibus, vel quando-
 „cunque spectaturis, etiam ex emo-
 „lumentis datariæ, Cancellariæ Apo-
 „stolicæ, Secretariæ Brevium, spolio-
 „rum Ecclesiasticorum, & quarum-
 „cunque Palatii Apostolici portionum,
 „seu distributionum provenientius,
 „liberalitatis, & donationis, aliove
 „quovis gratuito, seu lucrativo titulo
 „directe, vel indirecte etiam servitio-
 „rum, & meritorum; quæ tamen ta-
 „lia non sint, ut ex lege justitiæ eam
 „exigant remunerationem, aliove quo-
 „libet colore, seu prætextu, sive e-
 „tiam supra veram ipsorum servitiorum,
 „& meritorum rationem, ullo modo
 „in posterum disponatur. „

§. 2. „Quodsi Fratres, Nepotes,
 „Consanguinei, vel affines, seu illo-
 „rum loco adlecti, sive adsciti præfati
 „inopia laboraverint, poterit Roma-
 „nus Pontifex pro tempore existens pro-
 „timorata sua conscientia illorum pau-
 „pertatem eodem omnino modo sub-
 „levare, quo pauperum extraneorum
 „inopiæ subvenire fas est. „

§. 3. „Ne autem, quod directe
 „prohibetur, indirecte permittatur,
 „magnorum stipendiorum, seu hono-
 „rario-

„rariorum nonnullis Sedis prædictæ æc. XVII.
 „Officiis, seu muneribus, quæ Con- A. C. 1692.
 „sanguineis, vel Affinibus, seu adle-
 „ctis, vel adscitis præfatis concedi,
 „ut plurimum consueverunt, assigna-
 „torum ratione, stipendia, provisio-
 „nes, sive salaria, & honoraria, &
 „alias quomodolibet nuncupari solita
 „emolumenta quæcunque, quæ ante-
 „hac per cameram prædictam in civi-
 „tate Avenionensi, & comitatu Ve-
 „nayfino Nostri in Spiritualibus, &
 „temporalibus Vicario Generali, ac in
 „illis, & vicinis quinque Provinciis
 „ejusdem Sedis de latere Legato præ-
 „stari, & solvi plerumque solita, &
 „consueta fuerunt. Superintendentis
 „vero Generalis Negotiorum Sedis
 „Apostolicæ, necnon totius Militiæ,
 „tam Equestris, quam Pedestris status
 „Nostri Ecclesiastici Gubernatoris, &
 „Capitanei Generalis, itidemque Clas-
 „sis, & triremium Pontificiarum Præ-
 „fecti, illiusque, & illarum Commis-
 „sarii, & Locumtenentis Generalis,
 „arciumque, & turrium ad littora Ma-
 „ris tam Adriatici, quam Tyrreni exi-
 „stentium Superintendentis Generalis,
 „Præfecti quoque Generalis utriusque
 „Custodiæ Corporis Romani Pontificis,
 „ejusque locumtenentis Generalis, item
 „Castellani arcis sancti Angeli de urbe,
 „Hist. Eccles. Tom. LXVI. E „Gu-

Sæc. XVII. „Gubernatoris, ut alias deputabatur,
 A. C. 1692. „Civitatis Beneventanæ, cujus tamen
 „Gubernium ad instar aliorum prædicti
 „Nostri status, prout impræsentiarum
 „servatur, remaneat, & arcis Bene-
 „ventanæ Præfecti; item Gubernato-
 „ris oppidi Nostri Civitatis vetulæ, ac
 „demum Perusinæ, Anconitanæ, &
 „Novæ Asculanæ respective arcium
 „Præfecti, seu Castellani, officia, &
 „munera ipsa cum omnibus, & sin-
 „gulis illorum, & cujuslibet eorum ju-
 „ribus, prærogativis, stipendiis, sa-
 „lariis, & emolumentis quibuscunque
 „perpetuo supprimimus, & abolemus,
 „illaque deinceps quomodocunque, &
 „quandocunque renovari prohibemus.
 „nec cuiquam de cætero, assignari, &
 „præstari, seu concedi, & conferri re-
 „spective volumus, atque decernimus.
 „Quodsi pro rerum qualitate, tempo-
 „rumque contingentia, manifesta, ur-
 „gensque necessitas munera, seu offi-
 „cia Militaria hujusmodi, vel aliqua
 „ex eis de novo institui exegerit, Vi-
 „ros ad illa assumi volumus, & man-
 „damus, strenuos, & fideles, eximia
 „virtute præstantes, reique Militaris
 „appime peritos, & in illa, diuturno
 „ac probato usu exercitatos, quibus
 „Romanus Pontifex pro tempore exi-
 „stens, secundum datam sibi a Do-
 „mino

„mino Sapienciam pro racione laboris, Sæc. XVII.
 „indusriæ, atque periculi competen- A. C. 1692.
 „tia, & congruentia stipendia assi-
 „gnabit. „

§. 4. „Porro si Nostri, successorum-
 „que nostrorum Romanorum Pontifi-
 „cum pro tempore existentium, fra-
 „tres, Nepotes, & alii quicunque Con-
 „sanguinei, seu Affines, sive veri, sive,
 „ut præfertur, adlecti, & adsciti vitam
 „Ecclesiasticam elegerint, ac Eccle-
 „siarum, & Monasteriorum, aliorum-
 „que Beneficiorum, & officiorum Ec-
 „clesiasticorum, ac annuarum pensio-
 „num super eorum fructibus consecu-
 „tionis capaces fuerint, eam in red-
 „dituum, & proventuum Ecclesiasti-
 „corum distributione eis facienda ser-
 „vari volumus moderationem, ut non-
 „nisi juxta eorum merita, & non ultra,
 „congruam pro gradus, vel dignitatis,
 „quem vel quam in Ecclesia obtinue-
 „rint, nullo ad consanguinitatem, af-
 „finitatem, seu adlectionem erga Ro-
 „manum Pontificem habito respectu,
 „sustentationem, ejusmodi redditus &
 „proventus Ecclesiastici eis distribu-
 „tur. Quo custodita in omnibus Eccle-
 „siasticæ disciplinæ, atque justitiæ di-
 „tributivæ regula, nemini relinquatur
 „conquerendi, vel obloquendi occasio,
 „sed Ecclesiastica stipendia ministran-
 „tibus

Sæc. XVII. „tibus in Ecclesia Dei æqua lance pro
 A. C. 1692. „uniuscujusque merito assignentur. „

§. 5. „Quoad illos autem ex Fra-
 „tribus, Nepotibus, aliisque consan-
 „guineis, seu affinibus Romanorum
 „Pontificum pro tempore existentium
 „præfatorum; sive veris, sive, ut præ-
 „fertur, adlectis, & adscitis, quos
 „eximiis eorum ita exigentibus meritis,
 „ad sublimem Cardinalatus dignitatem
 „assumi contigerit, eam quoque de
 „cætero servari volumus moderatio-
 „nem, ut Ecclesiæ, Monasteria, com-
 „mendæ, aliave cujusvis generis be-
 „neficia, & Officia Ecclesiastica, ac
 „pensiones annuæ super illorum fructi-
 „bus unicuique eorundem respective
 „conferenda, commendanda, & con-
 „cedenda, ac reservandæ, & assign-
 „andæ, verum valorem annum duo-
 „decim millium scutorum Monetæ Ro-
 „manæ, computatis in simul Benefi-
 „ciorum, & officiorum quibuscunque
 „fructibus, & pensionum quantitatibus,
 „in totum non excedant: in ea tamen
 „taxatione non comprehendantur emo-
 „lumenta Officiorum ejusdem Aposto-
 „licæ Sedis, & Romanæ Curie S. R. E.
 „Cardinalibus demandari, seu concedi
 „solitorum, aliorumque munerum,
 „quæ ipsis non ad vitam, vel in perpe-
 „tuum, sed ad tempus, seu benepla-
 „citum

Sæc. XVII.
A.C. 1692.

„citum Romani Pontificis pro tempore
„existentis demandata, seu concessa
„fuerint. Declarantes, quod deinceps
„præfati, qui vitam Ecclesiasticam e-
„legerint, seu ad sublimem Cardina-
„latus dignitatem fuerint assumpti,
„quoscunque titulos fructuum reserva-
„tionibus gravatos, sive præventivas,
„vel eventitias pensiones ultra mode-
„rationem, ut supra respective præ-
„scriptam nullatenus assequi valeant.

§. 6. „Quodsi forsan (quod absit)
„modus circa præmissa congruenter,
„salubriterque præscriptus in posterum
„excedatur, curæ erit Romanis Pon-
„tificibus Successoribus, donationes
„gratuitas, seu lucrativas dispositio-
„nes, excessivas subventiones, mune-
„rum, & officiorum, seu illorum sti-
„pendiorum, & emolumentorum con-
„cessiones, ac reddituum, & proven-
„tuum Ecclesiasticorum distributiones,
„reservations, & assignationes, alia-
„que præmissa contra vel ultra modum,
„ut præfertur, præscriptum factas, seu
„facta rescindere, revocare, & in ni-
„hilum redigere, ac, ut præfertur,
„donata, elargita, concessa, collata,
„commendata, reservata, & assignata
„a Consanguineis, & affinibus, sive
„veris, sive adlectis, & adscitis præ-
„fatis, eorumque hæredibus & succes-

Sæc. XVII. „foribus respective, etiam manu Regia,
 A. C. 1692. „& de Apostolicæ potestatis plenitudi-
 „ne vindicare, & auferre, ac Camerae
 „Apostolicæ applicare & incorporare,
 „aliisque respective conferre, commen-
 „dare, concedere, & assignare, ac a-
 „lios desuper opportune providere, seu
 „disponere.,

§. 7. „Quia vero ægrotante Ro-
 „mano Pontifice nonnunquam conti-
 „git, ut signaturæ gratiarum, quæ
 „per concessum fieri dicuntur, modum
 „illum excederent, quem ipse Roma-
 „nus Pontifex, dum bene valebat,
 „servare consueverat: statuimus, at-
 „que decernimus, ut ii, quibus ejus-
 „modi Signaturas per concessum a Ro-
 „mano Pontifice ægrotante etiam per
 „Chirographum speciale manu ipsius
 „Romani Pontificis subscriptum, ve-
 „alias quomodocunque committi con-
 „tingerit, cujuscunque status, gradus
 „Ordinis, & dignitatis fuerint, etiam
 „Cardinalatus honore præfulgeant,
 „nullas hujusmodi gratias signare, ve-
 „expedire valeant, nisi fuerint ad illas
 „adhibiti duo ejusdem S. R. E. Cardia-
 „nales, qui unacum Signatore præfato
 „coram ipsomet Romano Pontifice eas
 „concedente, ac expediri mandante
 „earundem gratiarum supplicationi-
 „bus, sive minutis, aut Chirographis
 „aliis

„aliisque concessionum scripturis sub-
 „scribant, alioquin quidquid secus
 „actum, signatum, gestumve fuerit,
 „nullum, irritum, & invalidum, nul-
 „liusque sit roboris, vel momenti, &
 „qui huic saluberrimæ sanctioni con-
 „travenerint, ab ipso Romano Pontifice
 „sanitati restituto, vel ejus Successori-
 „bus condignis pœnis puniantur.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1692.

§. 8. „Ut autem præmissa omnia,
 „& singula perpetuo, & inviolabiliter
 „observentur, volumus, & Apostolica
 „auctoritate decernimus, ut sicut ejus-
 „dem S. R. E. Cardinales in Romana
 „Curia præsentem hanc Constitutionem,
 „quantum in eis erat, observare, illi-
 „que non contravenire, nec ullis con-
 „tra facientibus, etiam Romanis Pon-
 „tificibus consentire, nec absolutionem
 „a juramento præstito petere, nec ob-
 „latam, aut concessam acceptare pro-
 „miserunt, & jurarunt, idem quoque
 „per absentes ab eadem Curia dictæ
 „S. R. E. Cardinales, quodocunque
 „ad eam advenerint, ac per futuros
 „Cardinales in assumptione Pilei pro-
 „mitti, & jurari debeat, promissisque,
 „& juramentum hujusmodi in formula
 „juramenti per eosdem Cardinales
 „præstari soliti adjungatur, & adscri-
 „batur. Occurrente autem quando-
 „cunque ejusdem Apostolicæ Sedis va-

E 41

„catio-

Sæc. XVII. „cacione iidem Cardinales in Con-
 „clavi, quando de observandis Fel.
 „Rec. Prædecessorum Nostrorum Julii
 „Papæ II. super electione Romani Pon-
 „tificis, Pii Papæ V. ne civitates &
 „loca S. R. E. infeudentur, & Sixti
 „Papæ V. de pecuniis in arce S. An-
 „geli positis inde non amovendis, aliis-
 „que nonnullis constitutionibus Apo-
 „stolicis juramentum præstare solent,
 „etiam de præsentis constitutione per
 „quemlibet eorum, qui in Romanum
 „Pontificem electus fuerit, inviolabili-
 „ter observanda, & postmodum ipse
 „ad supremi Apostolatus officium as-
 „sumptus, post assumptionem hujus-
 „modi hoc ipsum promittere, & ju-
 „rare debeat, servatis etiam aliis om-
 „nibus, & singulis illis, quæ circa
 „juramentum hujusmodi in præfata
 „Sixti Prædecessoris constitutione anno
 „Incarnationis Dominicæ millesimo
 „quingentesimo octuagesimo sexto, un-
 „decimo Kalendas Maij, Pontificatus
 „sui anno primo edita præscribuntur. „

§. 9. „Has quoque Nostras literas
 „in libellum redigi, & post prædictas
 „Julii, Pii & Sixti, quæ in Conclavi
 „legi solent, aliorumque Prædecesso-
 „rum Nostrorum Constitutiones ad-
 „jungi, & in quinterno Cancellariæ
 „Nostræ Apostolicæ unacum aliis Con-
 „stitu-

„stitutionibus Apostolicis adscribi, & Sæc. XVII.
 „ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Ba- A. C. 1692.
 „silicæ Principis Apostolorum, dictæ
 „que Cancellariæ, & in acie campi
 „Floræ de urbe publicari, ipsarumque
 „præsentium literarum transumptis,
 „seu exemplis, etiam impressis, manu
 „alicujus Notarii publici subscriptis,
 „& Sigillo personæ in Ecclesiastica di-
 „gnitate constitutæ munitis, eandem
 „prorsus fidem, tam in iudicio, quam
 „extra illud ubique haberi volumus,
 „quæ iisdem præsentibus haberetur,
 „si forent exhibitæ, vel ostensæ.,

Huic Constitutioni sub jurata fide non modo Pontifex, sed etiam triginta quatuor Cardinales tum Romæ agentes suum chirographum apposuerunt, eamque ab omnibus Purpuratis signari, iussit Pontifex. Sub idem ferme tempus nuntiatum erat Innocentio, quod Clerici in Neapolis Regno periculosos motus adversus Gibertum Inquisitorem concitarint, quapropter Cardinalium nonnulli suadebant, ut Pontifex non nisi inquisitoris officio, aliisque Ecclesiasticis dignitatibus deinceps vacantibus præficeret. Felix sane, & pacificum est Romanorum Pontificum regimen, ubi moderati, atque a partium studio alieni Ministri in consilium adhibentur. Novo autem tu-

Sæc. XVII. multum contra Archiepiscopum & Can-
 A. C. 1692. telmum Cardinalem exorto Neapoli-
 tani duos Legatos Romam decrevere,
 qui Cardinalem e Regno avocari pe-
 terent.

§. XXV.

*Christianæ Religionis libertas Sinen-
 sibus omnibus permiffa.*

*Pufend. in-
 trod. a l'hist.
 l. 6. c. 2.
 Gottfrid.
 cont. Hist.
 Chron. l. 12.
 pag. 446.*

Quamvis anno priori Bonziorum odio
 ac invidia Catholici in Sinarum
 Regno horrendis suppliciis ac tormen-
 tis excruciantur, nilque propius esse
 videretur, quam integrum hujus Re-
 ligionis exterminium, nihilominus ta-
 men Cang - Hi Sinarum Imperator se-
 se semper Catholicis, eorumque reli-
 gioni propitium exhibebat; hanc animi
 dispositionem dextre in rem suam ver-
 tebant Missionarii Sinenses, præcipue
 ii, qui, ut memoravimus, post Con-
 stantini obitum e Siamensi Regno e-
 jecti ad Sinense Imperium contende-
 runt. Hi ergo Imperatori instantissime
 supplicarunt, & pro sua in Senatuum
 Sacrum autoritate edicta illa, qua
 tempore pupillaris ætatis suæ contra
 Christianos lata fuissent, abrogari
 proin Provinciarum Præsides, qui ejus-
 modi edictis nixi Catholicos dire vexa-
 bant, ab insequenda vera fide prohibe-
 beret

beret, plenamque suis subditis libertatem Catholicæ Religionis publico decreto sanciret. Ad horum preces Imperator hanc quæstionem dilucidari petiit: *Utrum Catholicam religionem adoptandi libertas Sinensibus esset concedenda?* Id negabant Bonzii, cunctique infideles, qui cælum terramque movebant, ut Evangelii propagationem præpedirent: Thomas vero Pereira e Societate Missionarius ea, qua apud Imperatorem gratia valebat, eundem adiit, supplex, ut Imperator coram Regni sui Proceribus, quæ ipse de religione Catholica sentiret, palam ediceret. Annuit Imperator Missionarii precibus, & congregatis hæc exposuit: „Ipsus „ego Religionis Christianæ præcepta „discussi, & nihil in iis periculosum „inveni: Christiani Deum omnium re- „rum Creatorem adorant, Superiori- „bus obediendum, & Parentes hono- „randos esse tradunt, proximo suo ma- „lum inferre, aut ejus bona vel uxores „concupiscere vetant: in his autem „nihil est, quod Sinensi Imperio no- „xium esse posset, iniquum ergo foret, „si hæc Religio prohiberetur.„ Opo- „posuit quidem ex Senatoribus non ne- „mo, Sinensibus probro fore, si relicta veteri religione Europæorum fidem amplecterentur: huic autem responsum, quod

Sæc. XVII.
A. C. 1692.

Sæc. XVII. quod juxta hanc sententiam Sinenses
 A. C. 1602 nequidem ab Europæis artem bellicam,
 calculos Astronomicos & instrumenta
 Mathematica addiscere potuissent: re-
 gessit alius ex Bonziis, quod hanc re-
 ligionem profitendi libertate populo
 concessa, totum Imperium exiguo tem-
 pore Catholicum sit futurum: eo me-
 lius, replicabat Missionarius, tum e-
 nim nec rebellionibus, nec factionibus,
 nec latrociniis, nec aliis bestialibus
 actibus nimis frequentibus ultra locus
 erit. Tenuit mutua hæc concertatio
 integrum ferme bimestre: tandem vero
 Missionarii, operam præstante ipso Im-
 peratore, porrecto libello supplici effla-
 gitarunt, ut in universo Imperio Reli-
 gio Catholica per edictum publicum
 approbaretur: Ipsemet Imperator huic
 libello ultimam manum admovit, tam-
 que concinne eliminavit, ut a Ri-
 tuum Tribunali, ad quod pro more
 veteri remitti debuit, ratum haberi
 speraret: Die ergo secunda Februarii
 hic idem libellus præfati Tribunalis Ju-
 dicibus exhibetur, hi tamen sine am-
 bage responderunt, standum esse an-
 tiquis Imperii legibus, quibus Euro-
 pæorum Religio interdicitur: Hoc re-
 sponso Missionarii velut fulmine tacti,
 coram Imperatore immensum dolorem
 testati sunt, iteratisque precibus tan-
 dem

dem obtinuerunt, ut alterum rursus Sæc. XVII.
libellum offerre permetterentur, quo ad A. C. 1692.
Tribunal remisso Judices die vigesima
secunda Martii sequens decretum e-
didere:

„Supremus tribunalis Rituum Præ-
„ses Cupatay & cæteri mecum judices,
„obedituri Majestatis tuæ mandato,
„super negotio proposito nostram sen-
„tentiam proferimus.„

„Nos omnes rem sedulo discu-
„tientes ac examinantes inveni-
„mus, quod illi viri Europæi in-
„vitati fama virtutum Majestatis tuæ
„plura dena stadiorum millia, ac im-
„mensum prope mare emensi sunt, ut
„huc pervenirent. Hi vero Mathema-
„ticæ Præfecturam nunc obeunt, &
„Astronomiam dirigunt: tempore bel-
„lorum conflandis machinis gnaviter
„incubuerunt, missi ad Moschos egre-
„giam operam sinceramque navarunt,
„efficientes, ut negotium de pace feli-
„citer concluderetur. Sane illorum
„merita plurima, & magna sunt; ipsi
„etiam Europæi, & alii eorum socii,
„qui in singulis habitant Provinciis,
„mali nihil omnino operantur, nullas
„excitant perturbationes. Tartarorum
„Sacerdotes, uti & Bonzii Sinenses
„sua habent fana, & permittitur om-
„nibus, ut illa adeant, & ibi venera-
„tio-

Sæc. XVII. „tionem exhibeant thura cremantes,
 A. C. 1692. „E contra vero religio Europæorum
 („quibus nihil mali imputari potest)
 „prohibita jam fuit in hoc Imperio.
 „Quod quidem videtur a ratione alie-
 „num. Par igitur est, ut in omnibus
 „Provinciis eorum templa, sicut antea
 „semper factum est, conserventur, &
 „omnibus secundum antiquam con-
 „suetudinem permittatur religionem
 „Christianam profiteri, & templa adire,
 „prohibitione omnino sublata. Hanc
 „sententiam nostram subjicimus Maje-
 „statis tuæ arbitrio, ac judicamus, si
 „ita annuat, eam in omnibus Provin-
 „ciis promulgandam: Khambii anno
 „trigesimo primo, luna secunda die
 „tertia.,

Huic decreto Imperator duos cha-
 racteres Sinicos apposuit, quorum sen-
 sus est, *Affentior Consulito*: obtento igitur
 Regis assensu biduo post solemne
 hoc decretum Peckini in urbe Regia
 ac per totum Imperium promulgatum
 & tanquam lex Imperii perpetua pu-
 blice affixa est, non sine ingenti to-
 tius Europæ gaudio, & maxima Re-
 ligionis Catholicæ in Imperio universi
 Orbis vastissimo stabiliendæ spe, quæ ta-
 men exiguo prorsus tempore viguit; Hi
 enim Missionarii impetratæ gratiæ gloria
 elati, contradicentibus potissimis cetero-
 rum

rum Ordinum Missionariis, Christiana-
 nam religionem cum superstitionis at-
 que idololatricis ritibus combinare ni-
 tebantur, ex hac autem diffensione
 cum gravissima orirentur mala, & Si-
 nenses majora inde oritura timerent,
 mortuo hoc Imperatore præfatum con-
 cessæ libertatis decretum abrogatum
 est, uti postea recensimus.

§. XXVI.

*Varadinum majus a Cæsareis ex-
pugnatum.*

Post Salankemenianam stragem Mu-
 stapha Sultanus tanta obruebatur
 consternatione, ut suadente Hufseyo
 Angliæ Legato ad resumendum pacis
 negotium valde inclinaret: E contra-
 rio autem Franciæ Orator propo-
 sita totius Hungariæ subjugandæ fa-
 cilitate ad restaurandum bellum no-
 vos eidem addidit animos. Novus igitur
 Vezirius nomine Halyus olim Mesopo-
 tamiæ Prætor, quotquot poterat, co-
 pias contrahit, Budam, aliasque Hun-
 garix arces negligentius custoditas re-
 cuperaturus: Haud segnior in accer-
 fendo stipendiario milite, erat Impe-
 rator, qui etiam a Monasteriensi Epi-
 scopo quatuor, a Dano Rege tria, & a
 Luneburgicis sex armatorum millia
 emer-

Sæc. XVII.
 A. C. 1692.

Theatr. Eu-
 rop. p. 232.
 tom. 14.

Sæc. XVII. A. C. 1692. ~~_____~~
emergatus est, quibus bis mille Hi-
berni accessere, Pontifex quoque cen-
ties mille florenos ad reparanda Budæ
atque Esseckii munimenta submisit, am-
pliores pro exercitu suppetias pollici-
tus: novam insuper classem, Fleurio
Archithalasso, Cæsar instruxit, quæ
Turcis impervium Danubium redderet,
atque annonæ, bellicique apparatus
advehendi commoditatem Cæsareis co-
piis pararet: Rebus ita dispositis in
belli Senatu Varadini, utpote Hunga-
riæ clavis expugnatio decernitur: Toto
jam hyeme Auerspergius Comes hanc
urbem arcte cinxerat, auroque & astu
sæpius deditioem extorquere tenta-
verat, imo trucidatis quingentis Tur-
cis Giulam, quæ unica obsessis spes
erat, post captam Palankam interce-
pisset, nisi rascianorum ad prædam
præfestine advolantium avaritia vi-
ctoribus palmam e manibus extorsis-
set. Elusis igitur cunctis hisce cona-
tibus, Heislerus Cæsareus Bellidux
die prima Maij justæ oppugnationis
initium facere constituit, ac circum-
ductis castellis, & suggestibus urbem
situ & arte probe munitam continente
verberatione infestat, atque ad fossæ
marginem progressus, vetuli cujusdam
molitoris opera aquas inde derivat.
Tum vero expeditior erat ad mænia

acces-

accessus, & magis noxia machinarum Sæc. XVII.
 explosio: ignivoma insuper pila in ni- A. C. 1693.
 tratos pulveres incidens, ingentem in-
 tus edidit stragem: jamque duorum
 latera propugnaculorum amplissimis
 ruinis perfossa hiabant: extrema etiam
 omnia famis atque offensionis mala pa-
 tiebantur obsessi: nondum tamen, li-
 cet ad deditionem provocati, strenuæ
 defensionis conatus deposuere, quini-
 mo tubicinem ab Heislero ablegatum
 telorum jactu signisque repulerunt:
 Postquam vero die quarta Junii cuni-
 culus retro effusus fossam repleverat,
 atque obsidentibus irruptionem omni
 ex parte commodam reddiderat, tan-
 dem obsessi altera die emissis obsidi-
 bus deditionem fecere, ea lege, ut
 traditis Seluncka, & Varadino mino-
 re, relictoque bellico omnis generis
 apparatu Turcæ, eorum uxores & filii
 jamjam decimum sextum ætatis an-
 num egressi unacum suis bonis Giulam
 transferrentur, qui tamen in itinere
 detenti fuere, donec Tribuni, alii-
 que milites Christiani numero octin-
 genti, qui se ad Orsovam dediderant,
 e vinculis contra datam fidem injectis
 vicissim liberarentur: Capta hac urbe,
 tota hujus anni expeditio mutuis veli-
 tationibus, & opima Turcici ærarii
 castrensis deprædatione absoluta est.

Hist. Eccles. Tom. LXVI. F Minus

Sæc. XVII. Minus prospere hoc anno Veneti dimi-
 A.C. 1692. carunt; quamvis enim Delphinus in
~~_____~~ Dalmatia Turcas iterata clade attrivif-
 fet, a Barbaris tamen inclusus pacta vitæ
 incolumitate cedere coactus est: In
 Cretenfi quoque Insula, postquam Ca-
 rabusa Urbs proditione Turcis tradita
 esset, Mocenigus unacum Trautmans-
 dorffio Comite Cretam terra marique
 obsedit, Bassamque, qui ad liberan-
 dam urbem advolabat, aggredi consti-
 tuit: ast fervente conflictu septingenti
 Galli ad Turcas transfugi in Christianos
 arma vertere, quorum perfidia
 Veneti ad interneccionem deleti fuif-
 sent, nisi Melitenses Equites suppetias
 tulissent; vicem tamen in Morea re-
 pendit Vendraminus, qui Seraskierum
 a Neupactensi obsidione non sine bar-
 barorum clade ac ignominia generose
 repulit.

§. XXVII.

*Varia Fæderatorum expeditio con-
 tra Gallos.*

Postquam Lorgius Franciæ Marefcal-
 lus Phorzheimium inter & Durla-
 cum Cæsareos profligaverat, Heidel-
 bergam & Moguntiam astu ac quorum-
 dam proditione intercipere tentabat,
 detecta autem perfidia, totam rabiem
 in

in Manheimenses effudit, atque in-
 census ligneis eorum casis nudos nullo
 ætatis aut sexus discrimine inhumane
 cruciari passus est: postea in Wirten-
 bergensem Ducatum inopinate irrum-
 pens, Administratorem, & Soyerum
 Ducem unacum sexaginta gregariis
 Argentinam raptari iussit. Sub idem
 ferme tempus trajecto Rheno Melacus
 vicina oppida spoliis atque incendiis
 fœde devastabat, Tallardus autem Rhe-
 nofessam obsidebat, desideratis tamen
 bis mille aufugere coactus est: Jam
 autem ipsemet Ludovicus Franciæ Rex
 Namurci in Belgio obsidionem susce-
 perat, quam etiam urbem unacum
 arce munitissima post unius mensis &
 aliquot dierum oppugnationem acer-
 rimam deditioe cepit, ac paulopost
 in campo Steinkirchiano cum fœdera-
 tis prælium iniit, eo successu, ut si
 plures victorias tot cæsorum pretio re-
 demisset, non modo devictus, sed e-
 tiam per plures annos prælium ten-
 tando impar fuisset: nec magis pro-
 sper erat in freto Caletano Gallicæ
 classis conflictus cum Auriaci Principis
 & Batavorum classe: protracto enim
 ad biduum prælio quindecim Gallorum
 naves ab Anglis captæ, & quin-
 quaginta sex aut submersæ, aut flam-
 mis datæ sunt, trucidatis classiorum

Sæc. XVII.

A. C. 1692.

Sæc. XVII. sex millibus, & duobus millibus in
 A. C. 1692. censum captivorum reductis. Die e-
 tiam decima tertia Augusti Caprara
 cum Cæsareo & Sabauda milite in vi-
 cinam Delphinatus Provinciam pene-
 trans, post aliquot dierum obsidionem
 Ebrodunum, & postea Vapingum,
 aliaque oppida Gallis eripuit, ingruente
 autem pluviarum copia in Italiam re-
 versus est. Sinistris hisce Gallorum
 conatibus Jacobus Angliæ Rex spe sua
 penitus excidit: quippe ejus exercitus
 ad Agrim Hiberniæ oppidum ingenti
 strage dissipatus est, & quamvis post-
 modum nova octoginta bellicarum na-
 vium, & trecentarum onerariarum
 classis triginta armatorum millibus in-
 structa in Normaniæ portu hæreret,
 qua præfatus Rex in Angliam deduce-
 retur; nihilominus hæc classis vento-
 rum vi per integrum semestre in altum
 prævolare præpediebatur, quòcirca
 Auriaci Uxor adversam classem oppo-
 nendi, atque exscensionem munitis
 undique littoribus prohibendi tempus
 nacta, Jacobum intentato facinore Pa-
 risios remeare compulit.

§. XXVIII.

Illustrium obitus.

Eodem anno, quo Maximilianus Emma-
 nuel Bavarix Elector Belgii Catho-
 licus

lici regimen sibi a Carolo Hispaniarum Sæc. XVII.
 Rege delatum tandem capefferat, Ma- A. C. 1692.
 ria Antonia ejus Conjux, ac Leopoldi
 Imperatoris Filia die vigesima octava
 Septembris Filium enixa est, non sine
 incredibili utriusque Aulæ gaudio,
 quod tamen brevi in luctum verteba-
 tur; paulopost enim die vigesima octava
 Novembris hic Filius, & die vigesima
 quarta Decembris ipsa Mater nonnisi
 annos viginti tres nata decessit. Hanc
 morte sequebatur Lipsiæ die decima
 Maij anno ætatis trigesimo tertio Al-
 bertus Augusti Saxonix Ducis Filius,
 postquam antea ad fidem Catholicam
 reversus esset. Denique vivis erepta
 est Margaretha Estensis Alphonfi Mu-
 tinensis Ducis Filia, ac Ferdinandi
 Gonzagæ III. Guastallæ Ducis Conjux.

§. XXIX.

*Quædam Innocentii XII. Pontificis
 Constitutiones.*

Præter Bullam, qua Innocentius XII. Bull. Magn.
 Pontifex Maximus Aulam Roma- Innoc. Const.
 nam a Nepotismi labe expurgavit, in- 14. & seqq.
 super die decima quarta Martii ab ex-
 communicatione latæ sententiæ absol-
 vit Superiores Generales Ord. S. Au-
 gustini, qui contra Sixti V. Constitu-
 tiones ab Alexandro VIII. subreptitie

Sæc. XVII. literas obtinuerunt, vi quarum sua
 A. C. 1692. officia ultra præscriptum tempus pro-
 rogare possent. Alia Constitutione
 die tertia Septembris Pontifex, quan-
 tum se extendat jurisdictio Majoris
 Pœnitentiarii, definivit. Prohibuit e-
 tiam die vigesima tertia Octobris, ne
 deinceps quædam Curia Romanæ of-
 ficia vendantur. Declaravit insuper,
 quod quando sæculares in Regularium
 Ecclesia sepulturam sibi eligunt, Pa-
 rochi non plus Eleemosynæ exigant,
 quam exegissent, si in Ecclesia Paro-
 chiali sepulti fuissent, & ipsi quidem
 e domo Cadaver ad Regularium Eccle-
 siam comitentur, ibique ad januam
 funus benedicant, hoc autem facto
 non intrent Ecclesiam, sed officia fu-
 neralia Regularibus relinquunt: ab
 hæredibus tamen consuetam exigere
 possint eleemosynam, quam percepis-
 sent, si exequiæ in ipsorum Ecclesiis
 fuissent celebratæ, die autem decima
 Martii innovavit Constitutiones, qui-
 bus superflua prohibentur expensæ in
 vestitione & velatione Monialium: Ve-
 tuit etiam Pontifex die vigesima Au-
 gusti, ne in Ecclesiis sub Missa aliud
 quam introitus, Graduale & offerto-
 rium, atque in Vesperis antiphonæ
 cantentur.

§. XXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1692.*Variae Sacrarum Congregationum
decisiones.*

Plures etiam hoc anno Sacrarum Congregationum Constitutiones emanarunt, & quidem die duodecima Januarii sacra Concilii Congregatio decidit, quod ad Episcopum spectet præscribere materiam in Casuum conferentia explicandam a Theologo, atque ad eam possit compellere omnes Sæculares Sacerdotes Confessarios, etiam Canonicos, cæteros autem Cathedralis Presbyteros hortari, ut ad hanc conferentiam accedant, die autem decima quarta ejusdem Mensis Sacra Rituum Congregatio ad Parochum Albegni Bergomensis Diæcesis perscripsit, quod reliqua certi sancti in Martyrologio Romano descripti, licet non sit insignis, adhuc sufficiat, ut possit obtineri licentia celebrandi in die ejus festo Missam de communi sub ritu duplici sine *Credo* in Ecclesia, in qua hæc reliqua asservatur: Sacra etiam Inquisitionis Congregatio literas encyclicas edidit, in quibus præter alia omnibus locorum Ordinariis injunxit, ut Vicarios Generales, & foraneos admoneant, ne Sacerdotibus Regularibus & Sæ-

Decis. SS.
Congr.
Concil. Rit.
Inqu.

Sæc. XVII
A. C. 1692.
 ularibus exteris licentiam concedant
 celebrandi Missam, nisi præsentent li-
 teras testimoniales proprii Ordinarii de
 Sacerdotio, æque tales sint, ut nul-
 lam ostendant falsitatis suspicionem,
 eisdemque Vicariis negligentibus vel
 transgressoribus pœnas imponant etiam
 corporales. Præterea die vigesima
 sexta præfati Mensis Sacra Concilii
 Congregatio ad varia dubia in Hiera-
 censi Visitatione proposita respondit,
 quod in die Festo Titulari, quoties mo-
 deste & sine abusu celebratur, non
 possit Monialibus prohiberi, ne illud
 solemnizent, Presbyteri tamen sæcu-
 lares, qui advocantur pro celebratione
 Missarum in Ecclesiis Monialium, pos-
 sint ab Episcopo prohiberi, ne acce-
 dant, quamvis Moniales exemptæ sint
 aut Regularibus subjæctæ; pariter ap-
 probatio Confessariorum tam ordina-
 riorum, quam extraordinariorum per-
 tineat ad clausuram: Electio autem
 Capellani pro celebratione Missarum
 in Ecclesia Regularium, a testatore
 non nominati, spectet ad hæredem,
 & non ad Regulares. Declaravit e-
 tiam S. Rituum Congregatio die vige-
 sima sexta Aprilis, quod si primæ Ve-
 speræ de S. Martina impeditæ fuerint
 ab officio duplici concurrente, vel a
 Dominica, tunc Hymnus proprius
 unia

uniatur Hymno Matutini sub unica Sæc. XVII.
 clausula: *A nobis abigas &c.* Regula- A. C. 1692.
 res autem in Processionibus non defe-
 rant pileum, & Episcopus eos etiam
 per censuras cogat ad deponendum:
 die autem decima septima Maij deci-
 dit, quod a die 17. Decembris inclu-
 sive usque ad Vigiliam Nativitatis ex-
 clusive fieri possit quodcunque Officium
 duplex vel semiduplex occurrens, vel
 translatum, sed in utrisque Vesperis
 pro commemoratione Feriæ dicantur
 Antiphonæ majores tum occurrentes.
 Ad petitionem Mattheranensis Episcopi
 die decima quarta Junii S. Rituum
 Congregatio respondit, quod Episco-
 pus deferens reliquiam Ligni SS. Cru-
 cis in supplicationibus possit incedere
 cum Mitra: die autem tertia Septem-
 bris declaravit, quod si Festum S. Jo-
 sephi occurrerit in Feria quinta Majoris
 Hebdomadæ, ejus Officium trans-
 ferendum sit ad aliam diem juxta Ru-
 bricas Breviarii Romani, & Decreta
 Sacræ Congregationis: Cæterum præ-
 ceptum audiendi Missam, & vacandi
 ab operibus servilibus non sit transfe-
 rendum, sed servandum in prædicta
 Feria quinta Majoris Hebdomadæ;
 adeoque per Ordinarios locorum ac-
 curate providendum, ut eo die aliquæ
 quidem Missæ privatæ, ante celebra-
 tionem

Sæc. XVII. tionem solitæ Missæ Conventualis ce-
 A. C. 1692. lebrandæ pro præcepti adimplemento
 non desint: sed tamen propterea an-
 tiquus mos communionis Cleri in Missa
 solemni ejus diei, quo sancta Ecclesia
 Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti in-
 stitutionem, & memoriam recolit,
 summa religione hæctenus retentus,
 nullatenus omittatur.

§. XXXI.

*Quorundam Scriptorum religione Ca-
 tholicorum opera & decessus.*

Du Pin
nouv. Bibl.
des Auth.
tom. 18. &
Hist. Eccl.
tom. 4.
Niceron.
t. 16. p. 16.
Mem. des
Hom. Illustr.
t. 2. p. 135.

PERCElebres quidam Scriptores Catho-
 lici hoc anno calamum cum vita
 posuere: ex his æterna memoria di-
 gnus est Emanuel Schelstratus patria
 Antverpiensis, Vaticanæ Bibliothecæ
 Præfectus, qui ad extollendam Pon-
 tificis auctoritatem quamplurima edi-
 dit. Exstat illius *antiquitas illustrata*
circa Concilia generalia & Provincialia,
decreta & gesta Pontificum & præcipua
totius historiæ Ecclesiasticæ capita: Ec-
 clesia Africana sub Primatu Carthagi-
 nense. Sacrum Antiochenum Conci-
 lium pro Arianorum Conciliabulo pas-
 sim habitum &c. Acta Constantiensis
 Concilii ex Cod. MSS. illustrata, tra-
 ctatus de disciplina arcani, de Basilica
 Vaticana, de sensu & auctoritate decre-
 torum

torum Concilii Constantiensis Sessione Sæc. XVII.
 quarta & quinta. Acta Ecclesiæ Orien- A. C. 1692.
 talis contra Lutheranos & Calvinistas,
 Modus dignoscendi Scripturæ vetusta-
 tem, Dissertatio de auctoritate Patriar-
 chali & metropolitana, & oratio in fu-
 nere Innocentii XI. a quo Schelstratus
 Bibliothecæ Vaticanæ curam suscepit,
 & denique post ejus mortem typis e-
 diti sunt duo tomi sub titulo: *Antiqui-
 tas Ecclesiæ, dissertationibus, monumentis
 & notis illustrata.* Obiit celebris hic
 Author Romæ sexta Aprilis die non-
 nisi quadraginta tres annos natus. II.
 Adrianus Valois seu Valesius edidit
 gesta Francorum, dissertationem de
 Basilicis, notitiam Galliæ, tractatum
 de annis Regni Dagoberti, tractatum
 Historicum de veteribus Ecclesiis Pa-
 risiensibus, Petri Monmauri opera no-
 tis illustrata, præter plura alia. III.
 Joannes Bonnet Benedictinus ex Con-
 gregatione S. Mauri scripsit librum de
 proprietatibus & qualitatibus aquarum
 mineralium. IV. Cæsar Vichard Ab-
 bas de S. Real Sabaudus elucubravit
 vitam Christi Domini, tractatum de
 Critica, concertationes contra Arnal-
 dum, & Amelotum de la Houffay,
 infidelitatem mulierum apud Romanos,
 usum Historiæ, Historiam de conjura-
 tione Græcorum & Hispanorum con-
 tra

Sæc. XVII. tra Venetos & nonnulla alia. V.
 A. C. 1692. Dominicus Maria Marchese Ord. FF.
 Præd. posteris reliquit Theologiam
 bipartitam, appendicem de potestate
 summi Pontificis præter plurium Ve-
 nerabilium vitas.

§. XXXII.

*Protestantium Scriptorum lucubra-
 tiones & obitus.*

Rollii Bibl. nob. **E**x Heterodoxis Scriptoribus cele-
 brioribus sunt. I. Vitus Ludovicus
Act. Erudit. Seckendorff, qui posteris reliquit com-
 mentarium historicum, & Apologeti-
 cum de Lutheranism, defensionem
 relationis de Ant. Burignonia, disser-
 tationem Historicam pro doctrina Lu-
 theri de Missa, & nonnulla alia. II.
 Joannes Busman edidit disputationes
 de fide salvifica, de Scheol Hebræo-
 rum, de antiquis Hebræorum literis
 ab Esdra mutatis, & de Apostasia Lu-
 ciferi. III. Martinus Lippenius scripsit
 libros duos strenarum Ecclesiasticarum,
 Bibliothecam realem Theologicam
 præter tractatum de navigatione Salo-
 monis Ophiritica. IV. Henricus Rix-
 nerus publici juris fecit institutiones
 Theologiæ Moralis, Historiam Sacram
 N. T.

N. T. librum de veterum Christiano-
 rum institutis & ritibus circa Eucha-
 ristiam, & varias disputationes. V. Sæc. XVII. A. C. 1692.
 Joannes Lassenius, scripsit Synopsin
 Conciliorum omnium, Arcana Poli-
 tico-Atheistica, inordinatam stateram
 in dogmate purgatorii, classicum belli
 Turcici, tractatum de statu Canonico-
 rum reformatorum & Lutheranorum, di-
 sputationes, & alia quamplurima o-
 puscula. VI. Paulus Colomesius edi-
 dit iconem Theologorum Presbyteria-
 norum, Galliam orientalem, cimelia
 literaria, observationes Sacras, para-
 lipomena ad Guil. Cave Carthophy-
 lacem, Romam Protestanticam, Bi-
 bliothecam selectam, Miscellanea Hi-
 storica, vitam P. Sirmondi, præter
 alia nonnulla.

§. XXXIII.

*Actum de reconcilianda Sacra sede
 cum Franciæ Præsulibus.*

Subsequens hic annus supra nonage-
 simum tertius Innocentio XII. sum-
 mo Pontifici admodum gloriosus fluxe-
 rat, ob feliciter diremptam controver-
 siam, quæ ultra decennium inter In-
 nocentium XI. ejusque Successorem,
 & Franciæ Præsules fervebat: Jam a
 primis Pontificatus sui auspiciis Inno-
 centius

*Abrege
 chron. de
 l'Hist. t. 3.*

Sæc. XVII. centius XII. omni contentione laborabat, ut Regaliæ extensio, & Cleri Gallicani declaratio sedi Apostolicæ tantopere injuria aut omnino tolleretur, aut saltem certis limitibus moderaretur: Diu multumque certatum, alii atque alii sæpius transigendi modi fuere propositi, totiesque rejecti, adeo, ut pene nulla optati successus spes reliqua videretur: Quantumcunque Pontifex ardenti desiderio pacem exoptaverat, plurimum tamen ad Sedis Apostolicæ honorem interesse autumabat, ut præprimis injuria per Cleri Gallicani articulos Anno 1682. illata repararetur, quocirca Pontifex Episcopis, a Rege promotis, qui illis tum comitiis intererant, Apostolicas confirmationis literas concedere, constantiter renuebat, nisi prius in Parisino Conventu contra Pontificis auctoritatem decreta revocarent, sponderentque, nihil se facturos, quo Regaliam recens liberis Ecclesiis impositam agnoscere viderentur. Ipsemet Ludovicus Franciæ Rex a Galliæ Episcopis vehementer sollicitatus, cum summo Pontifice conciliari festinavit, hujusque rei mandatum Estræo & Furbino Cardinalibus tum Romæ degentibus dedit.

§. XXXIII.

§. XXXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.*Transactionis articuli utrinque acceptati.*

Ambo hi Cardinales Regis sui, Clerique Gallicani nomine Innocentium XII. Pontificem summis precibus fatigabant, ut tandem Franciæ Præfules, quos Rex nominasset, concessio confirmationis diplomate ad Ecclesiarum suarum tanto tempore suis Pastoribus viduatarum regimen admittere vellet: Exhibebant insuper hi Cardinales Pontifici literas, quibus Rex suum edictum, quo Cleri declarationem firmaverat, retractandi spem fecisset, si pariter Episcopi suæ conscientiae testimonio convicti, factam declarationis subscriptionem revocare parati essent: Re diu ac serio utrinque agitata, tandem in has condiciones mutuo conventum: „Galliæ Antistites, „qui a Rege nominati ad Ecclesias „fuerant, Conventus Parisiensis decreta revocarent: Regaliam, donec „a Romana sede caussa finiretur, non „agnoscerent: Rex ipse datis ad Pontificem literis promitteret, se edictum, „quo Propositiones Parisiis editæ firmabantur, cassaturum. Pontifex vero, abolita præteritorum memoria; „Epi-

Sæc. XVII. „Episcopos Ecclesiis, quas a Rege ac
 A. C. 1693. „ceperant, potiri permetteret, solem-
 „nique more Bullis, ac diplomatibus
 „necessariis instrueret. „

§. XXXV.

*Franciæ Præsulum literæ ad Inno-
centium XII. Papam.*

*Hode vie
 de Louis
 XIV. l. 50.
 Gottfrid.
 cont. Hist.
 Chron. l. 12.*

Acceptatis utrinque hisce conditioni-
 bus Pontifex crebras ad Franciæ
 Regem, atque Episcopos literas dedit,
 ut tandem gravissimo huic negotio ul-
 tima manus apponi posset: sæpius ad-
 limam revocabantur utriusque partis
 literæ, ne in illis vel umbra appare-
 ret, qua vel Apostolicæ, vel Regiæ
 auctoritatis splendor quovis modo ob-
 fuscari videretur: Tandem vero Epi-
 scopi perdemissas hæc literas ad Pa-
 pam dederunt:

Beatissime Pater.

„Cum in hac tandem exultantis Ec-
 „clesiæ felicitate ingentes Christiani
 „omnes Paternæ Providentiæ Sancti-
 „tatis Vestræ fructus percipiant, faci-
 „lemque in sinum Clementiæ Vestræ
 „aditum experiantur; nihil accidere
 „molestius nobis potuit, quam quod
 „eo nunc loco res nostræ sint, ut adi-
 „tus in gratiam Sanctitatis Vestræ nobis
 „hacten-

„hactenus interclusus videatur. Cujus Sæc XVII.
 „quidem rei, cum eam fuisse rationem A. C. 1693.
 „perciperemus, quod nos Cleri Galli-
 „cani Comitii Anno 1682. Parisiis ha-
 „bitis interfuerimus; idcirco ad pedes
 „Beatitudinis Vestræ provoluti profite-
 „mur, & declaramus, nos vehementer
 „quidem, & supra id, quod dici pot-
 „est, ex corde dolere de rebus gestis
 „in Comitiiis prædictis, quæ Sanctitati
 „Vestræ, ejusque Prædecessoribus sum-
 „mopere displicuerunt, ac proinde
 „quidquid in eisdem Comitiiis circa
 „Ecclesiasticam potestatem, & Ponti-
 „ficiam Auctoritatem decretum cen-
 „seri potuit, pro non decreto habe-
 „mus, & habendum esse declaramus,
 „& quidquid ibidem deliberatum in
 „præjudicium Jurium Ecclesiarum cen-
 „seri potuit, pro non deliberato habe-
 „mus, & habendum esse declaramus,
 „quinimo a mente nostra alienum fuisse
 „testamur, quidquam decernere, & Ec-
 „clesiis prædictis præjudicium inferre
 „potuit: prompti insuper in profundis-
 „simi obsequii, quod Sanctitati Vestræ
 „profitemur, & demissæ reverentiæ
 „pignus ita nos gerere, ut de debita
 „nostra, quam ad extremum vitæ
 „spiritum Sanctitati Vestræ impensis-
 „sime præstabimus, obedientia, & de
 „nostro pro tuendis Ecclesiæ juribus
 „Zelo

Hist. Eccles. Tom. LXVI.

G

„Zelo

Sæc. XVII. „Zelo nihil unquam possit desiderari
A. C. 1693. „His itaque perlectis nostris literis spe-
 „ramus, & Sanctitatem Vestram hu-
 „millime obtestamur, ut nos in gratiam,
 „benevolentiamque tandem receptos,
 „Ecclesiis, ad quas Rex noster Chri-
 „stianissimus nos nominaverit, præfi-
 „cere non dedignetur, quo maturius
 „animarum Saluti, & Christianæ Re-
 „ligionis utilitati, ipsarum Ecclesiarum
 „Juribus, & dignitati, ut sincere San-
 „ctitati Vestræ profitemur, studium
 „omne nostrum, & curam impenda-
 „mus. Interim Beatitudini Vestræ
 „tanquam Beati Petri Apostolorum
 „Principis Successori Christi Domini
 „Vicario, totiusque militantis Ecclesie
 „capiti veram & sinceram obedientiam,
 „quam jam promisimus, iterum pro-
 „mittimus, vovemus, & juramus, ac
 „multos & felices annos pro bono to-
 „tius Ecclesie ex animo precamur.”

§. XXXVI.

*Ludovici XIV. Galliarum Regis epi-
 stola ad eundem Pontificem.*

Insuper etiam Ludovicus XIV. Rex
 edictum suum, necnon Cleri Galli-
 cani declarationem nullius fore robo-
 ris testatus est, datis ad Innocen-
 tium XII. Papam hisce literis.

Beatissi-

Beatissime Pater.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

„Multa mihi semper, & egregia de
 „Sanctitatis Vestræ ad Pontificiam hanc
 „dignitatem promotione pollicitus e-
 „ram; cum nihil ambigerem, eam quam-
 „plurimum ad Ecclesiæ totius, nostræ-
 „que sanctæ Religionis incrementa ac
 „splendorem profecturam. Nec ea me
 „spes fefellit; cum non sine ingenti
 „meo gaudio, quæ in utriusque com-
 „mendationem, maximumque aug-
 „mentum a Sanctitate Vestra magni-
 „fice, præclareque gesta sunt, oculis
 „usurpem, sentiamque, eam quoque
 „ob causam filialem meam in Beati-
 „tudinem Vestram reverentiam sem-
 „per intendi. Et quia animo statui,
 „qua maxime ratione possum, id ipsum
 „Sanctitati Vestræ testatum facere, la-
 „tere eam nolo; jam a me provisum
 „esse, ut edictum, quo Parisiensium
 „Comitiorum declaratio anno millesi-
 „mo sexcentesimo octuagesimo secundo
 „die secunda Martii, munita fuerat;
 „quodque eorum temporum conditio
 „expresserat, effectu deinceps careat,
 „suspensumque censeatur. Et vero,
 „uti maximæ mihi curæ, ac voto est,
 „ut non solum Sanctitas Vestra animi
 „mei sensa, verum etiam mundus to-
 „tus venerationem intelligat, qua exi-
 „mias,

Sæc. XVII. „mias, sanctasque ejus virtutes im-
 A. C. 1693. „pensissime amplector; ita persuasum
 „quoque habeo, nihil passuram desi-
 „derari, quo ejus paternam in me
 „charitatem magis magisque experiar
 „Precor interim Deum, ut Sanctita-
 „tem Vestram quamplurimis annis, &
 „felicissimam conservet.„

§. XXXVII.

*Oratio Pontificis hanc in rem ad
 Sacrum Purpuratorum
 Collegium.*

*Vid. t. 65.
 §. 2. p. 16.*

Adimpletis hisce conditionibus sum-
 mus Pontifex gravibus oppido ver-
 bis Franciæ Præsules hortabatur, ut
 deinceps Ecclesiæ Canones, & Lug-
 dunensis Concilii decreta contra Rega-
 lia magis religioso cultu venerari, ni-
 hilque in Sedis Apostolicæ præjudi-
 cium, ac jurium violationem decernerent
 velint: sua vero ex parte statuit Pon-
 tifex, ut Episcopis, qui præfatæ de-
 clarationi non subscripserant, ac de-
 mum etiam illis, qui eam suo calculo
 approbarunt, ad Ecclesiarum regimen
 admittere velit: Hanc ergo suam men-
 tem habita ad Sacrum Collegium ora-
 tione in publico Patrum Senatu die
 vigesima sexta Octobris his verbis
 declaravit.

Veni-

*Venerabiles Fratres.*Sæc. XVII.
A. C. 1693.

„Jam diu est, quod plurimas floren-
 „tissimi Gallix Regni Ecclesias Pasto-
 „ribus viduatas, intimo cordis affectu
 „mifereamur: Ex quo vero divinæ Bo-
 „nitati placuit ad præcelsum hoc Apo-
 „stolici muneris culmen, & ad sollici-
 „tudinem omnium Ecclesiarum humili-
 „tatem Nostram vocare, deplorabili
 „sane tot animarum periculo consulere
 „dies, noctesque assidue cogitamus.
 „Tandem cum pro gravissima rerum,
 „ac temporum difficultate non alia
 „æquior hæctenus occurrerit ratio huic
 „necessitati prospiciendi, de complu-
 „rium Fraternitatum Vestrarum Con-
 „silio in eam Sententiam ivimus, ut
 „ex eorum numero, quos Nobis cha-
 „rissimus in Christo Filius Noster Lu-
 „dovicus Francorum Rex Christianissi-
 „mus nominavit, illos duntaxat, qui
 „satis notis Cleri Gallicani Comitibus
 „Anno 1682. habitis non interfuere,
 „nec inibi gestis merito ab hac sancta
 „Sede reprobatis, ullatenus assensere,
 „quosque non modo ab ea labe immu-
 „nes, sed & alioquin idoneos legiti-
 „mis documentis fore constiterit, ad
 „Ecclesiarum regimen admitteremus.
 „At vero, quoniam eorum aliqui iis
 „Ecclesiis præficiendi erunt, quibus

Sæc. XVII. „ipsum Regaliæ onus non ita pridem
 A. C. 1693. „invectum fuit, ne ulla unquam ex
 „hac nostra nominatorum admiffione
 „fufpicio oriri poffit probatæ a Nobis
 „feu diffimulatæ faltem ejusdem Re-
 „galix fervitutis, iis omnibus, qui
 „præfatis Ecclefiis, quæ ejusmodi o-
 „neri obnoxix vere non funt, præfi-
 „cientur, pro commiffi Nobis Pastora-
 „lis Officii debito, noftræ non minus,
 „quam ipforum Confcientiæ confulen-
 „tes, ferio injungemus, ut memores
 „Sanctionis œcumenici Concilii Lug-
 „dunenfis, pœnarumque ab eo inflicta-
 „rum, ipfi Regaliæ nullatenus confen-
 „tiant, fed ab iis omnibus abftineant,
 „unde illius ufus admiffus quoque modo
 „videri poffet, donec plenius graviffi-
 „ma hac de re judicium ad Apoftoli-
 „cam fedem fuo jure pertinens, & le-
 „gitime interpofita nonnullorum appel-
 „latione delatum, quod Nobis inte-
 „grum refervamus, fuo tempore, fi
 „opus fuerit, proferatur: Ceterum de
 „eximia ejusdem Christianiffimi Regis
 „pietate, filialique in hanc fanctam fe-
 „dem obfervantia plene confidimus,
 „ipfum omnino facturum, ut, quemad-
 „modum pluries fperare Nos fecit, re-
 „gium edictum, quo in præfatis Co-
 „mittis edita de poteflate Ecclefiaftica
 „declaratio firmabatur, viribus & effecta

„V2.

„vacuum re ipsa ab omnibus habeatur, Sæc. XVII.
 „Nostræque erga Majestatem suam A. C. 1693.
 „paternæ Charitatis, quinimo & causæ
 „ipsius justitiæ daturum, ut nihil
 „Nobis imposterum etiam quoad uni-
 „versum Regaliæ negotium desideran-
 „dum super sit, qua de re ipsam hortari,
 „admonere, atque etiam in Domino
 „obsecrare non desistimus. „

„Quæ omnia Vobis imprimis Vene-
 „rabiles fratres innotescere dignum du-
 „ximus, qui tanto Religionis ardore
 „ac pietatis merito humilitati nostræ
 „in universalis Ecclesiæ regimine assi-
 „stitis, ut vel inde agnoscatis, nihil
 „Nos ab Ecclesiasticæ libertatis, atque
 „hujus sanctæ Sedis auctoritatis tuen-
 „dæ proposito deflectere, sed Roma-
 „norum Pontificum Prædecessorum
 „Nostrorum, ac præcipue felicis re-
 „cordationis Innocentii undecimi, &
 „Alexandri octavi super præmissis e-
 „ditis literis constanter inhærere, at-
 „que ad extremum usque vitæ Spiri-
 „tum adjuvante Domino inhæsurus,
 „ut creditam Nobis Pontificiæ pote-
 „statis plenitudinem illibatam serve-
 „mus, & immaculatam hæreditatem,
 „uti a Domino accepimus, Successori-
 „bus relinquamus. „

His prolatis de Franciæ Præsuli-
 bus loquens testabatur, eos de gestis

Sæc. XVII. *hujusmodi vehementer quidem & supra omne*
 A. C. 1693. *id quod dici potest, ex corde dolere, ac decla-*
 rasse, quod quæcunque in prædictis comitiis
 siue circa Ecclesiasticam potestatem & Pon-
 tificiam auctoritatem decreta, siue in præ-
 judicium jurium earundem Ecclesiarum de-
 liberata, pro non decretis nec deliberatis
 haberent & habenda esse velint, serio in-
 super spondentes, se ita in posterum gestu-
 ros, ut nihil penitus de vera eorum ergo
 Sanctam sedem obedientia ac debito pro ju-
 ribus ipsarum Ecclesiarum defendendis Zelo
 desiderandum supersit. Insuper in eodem
 Senatu testatus est Pontifex, quod a
 Rege quoque Christianissimo Ludovico XIV,
 suis literis certior fuisset redditus, eum nu-
 perrime regium suum edictum, quo in his
 comitiis Cleri Gallicani edita de potestate
 Ecclesiastica declaratio firmabatur, ita ha-
 beri jussisse, ut neminem ad illius observan-
 tiam teneri perspectum sit ac exploratum.

Ita demum tam diuturnæ, & ma-
 xima utrinque contentione agitatæ liti
 finis impositus est, hacque palinodia
 læsa Pontificis auctoritas reparata fuit,
 salvo etiam Episcoporum decore, qui-
 bus nil magis gloriosum, quam veri-
 tati cedere; in errorem enim incidisse,
 naturæ fuit, diluisse virtutis (*) nihilomi-
 nus ex Gallis nonnulli hanc senten-
 tiæ

(*) S. Greg. hom. 26. in Evang.

tiæ Gallicanæ revocationem flocci habent, eoquod non ab ipso Clero *in corpore*, sed duntaxat a quibusdam Episcopis separatim facta fuisset, & Parlamentum Parisinum semper immoto studio hisce quatuor articulis institisset, necnon illi tam in thesibus, quam libris aliisque occasionibus etiam vivente Ludovico XIV propugnati fuissent, imo idem Rex adeo non huic doctrinæ sua revocatione nuntium mittere intenderit, ut etiam Bossueto Meldensi Episcopo Cleri declarationem contra Ultramontanos defendere injunxerit: Ergone tam manifesta revocatione Rex, Clerusque summum Pontificem non nisi ludificare intenderunt? hæc, an in Regis Clerique honorem cedant, viderint Galli: Ergone triginta septem Episcopi (*), qui suæ revocationi subscripti leguntur, minoris sunt auctoritatis, quam triginta quatuor illi Præfules, qui declarationem approbarunt, nec hucusque Ecclesia comitiis Cleri Gallicani attribuit Synodi auctoritatem, nec etiam ceteri Episcopi contra horum palinodiam tum reclamaverunt.

G 5

Esto,

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

(*) In Gallia exstant octodecim Archiepiscopatus, & centum duodecim Episcopi, ex quibus tamen vix quarta pars ad comitia confluit.

Sæc. XVII. Esto, quod *postea* aliqui has sententias
 A. C. 1693 secuti sint, semper tamen verum est,
 eas a Rege & Clero fuisse revocatas,
 & ab omnibus saltem silentio, tacitoque
 consensu hanc revocationem approba-
 tam fuisse, nec Parlamenti auctoritas
 in rebus Sacris Episcoporum sententiæ
 ac iudicio prævalebit, nec quorundam
 Præfulum propositiones Ecclesiæ au-
 thoritatem sibi vendicabunt, utpote
 quæ ortum habuere in privato con-
 ventu, in quo Parlamenti imperium
 præfedit, terror suffragium tulit, adu-
 latio decidit, & complacendi studium
 subscripsit.

§. XXXVIII.

*Novæ contentiones in Sinis inter
Missionarios.*

Vid. supra
 l. 201. §. 66.
 p. 219. t. 61.
 & tom. 62.
 l. 203 §. 118.
 pag. 384.

Restituta in Galliis pace ac concordia,
 acrior inter Sinenses Missionarios
 recruduit contentio circa ritus, quos
 Innocentius X. Papa jam anno hujus
 sæculi quadragesimo quinto tanquam
 superstitiosos, & Idololatricos dam-
 naverat: nunquam vero Jesuitæ hoc
 Papæ decretum executioni dederunt,
 sed per P. Martinium controversos ri-
 tus tam innoxie depinxere, ut Ale-
 xander VII. juxta exposita contrariam
 ederet decisionem, quin tamen Inno-
 centii

centii decretum revocaret, etsi sub ea Sæc. XVII.
 conditione emanatum fuisset, *donec ali-* A. C. 1693.
ter a summo Pontifice vel Sacra sede deci-
sum fuisset. Porro ceteri diversorum Or-
 dinum Missionarii subreptionem suspi-
 cati, Neophytis horum rituum usum
 severe interdixere: Jesuitæ autem novo
 huic decreto innixi, has cæremonias
 velut mere politicas permiserunt, ut
 Legem Dei cum doctrina Literatorum
 & Confucii conciliarent, eo quod hanc
 ipsemet Sinarum Imperator, Nobiles,
 & hujus gentis Doctores exterius pro-
 fiterentur: Inde vero, & quidem eo
 tempore, quo concessa Religionis Ca-
 tholicæ libertas uberrimam polliceba-
 tur messem, tam perniciofa discordia-
 rum Zizania succrevere, ut omnis fer-
 me aditus in vastissimum hoc Impe-
 rium Evangelio ad hodiernam usque
 diem intercisus permaneat.

§. XXXIX.

*Caroli Maigroti Vicarii Apostolici
 edictum contra Rituum Sinensium
 Defensores.*

Quoniam vero ob Sinensium verbo- Acta Causæ
 rum ambiguitatem, & dissonam Rit. Sin.
 illorum interpretationem ab aliis non- pag. 2.
 nulli ritus reprobarentur, ab aliis vero
 tanquam innoxii permitterentur, hinc
 Sacra

Sæc. XVII. Sacra Sedes præter variorum Ordinum
 A. C. 1693. Religiosos, etiam quosdam Presbyteros
 sæculares a partium studio alienos feligere, atque ad Sinense Imperium mittere constituit, eis injungens, ut singulari studio tam in Sinense idioma, quam ritus, ac consuetudines investigarent: Peropportuna tunc erat in Sinas navigandi occasio; Imperator enim non inodo Gallis in Aulæ ambitu Sacellum, auctoque converforum numero Templum pro re Sacra erigere indulfit, sed etiam omnes Sinarum portus Europæis aperuit, cum tamen antea nonnisi per Macaoum esset accessus, & quem etiam Lusitani ægre aliis nationibus pervium fecerant. Igitur præter alios præcipue ea ex parte penetrabat Carolus Maigrot Sorbonæ Doctor, qui inter Sinenses longe peritissimorum magisterio se mancipans, per integros viginti annos impigro labore Sinicos libros evolvit, ac idiomatis vim assequi studuit: Demum rursus a summo Pontifice Sinas missus, atque in Vicarium Apostolicum Fokiensis Provinciæ nominatus, hoc anno die vigesima sexta Martii sequens promulgavit edictum.

„Carolus Maigrot Sacerdos, Vicarius Apostolicus Fokiensis, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Sociusque
 „Sor-

„Sorbonicus, omnibus Vicariatus no- Sæc. XVII.
 „stri Confacerdotibus Salutem in eo, A.C 1693.
 „qui est omnium vera Salus. Ex quo
 „in Sinarum Imperium, Deo favente,
 „appulimus, Nobis semper hæc Vica-
 „riorum Apostolicorum sollicitudinis
 „præcipua pars visa est, ut diversis
 „quæstionibus, de quibus inter Missio-
 „narios jam diu controvertitur, finem,
 „si fieri posset, afferrent, sin minus,
 „regulam Missionariis traderent, quæ,
 „donec Apostolica Sedes controversiam
 „dijudicaret, æquali ab omnibus usu,
 „& ratione servaretur. Neque enim,
 „quod sæpius gementes conspeximus,
 „sine magno Ecclesiarum istarum de-
 „trimento accidit, ut Evangelii Ministri
 „in rebus, quæ ad Dei cultum, & Ido-
 „latriæ extirpationem attinet, inter
 „se non consentiant; ut quod alii sine
 „Idololatriæ labe fieri posse non putant,
 „hoc alii Christianos facere permittant,
 „aut etiam ad faciendum adhortentur;
 „utque illi ipsi, qui certos usus super-
 „stitiosos esse arbitrantur, eosdem pro
 „bono pacis interdum tolerant. E qua
 „mali tolerantia malum radices agere,
 „atque in dies & in dies incrementum
 „accipere, diuturna experientia co-
 „gnovimus. „

„Et quidem plerique Vicariatus no-
 „stri Missionarii hanc, in quæstionibus
 „tanti

Sæc. XVII. „tanti momenti, non sententiarum modo
 A. C. 1693. „discrepantiam, sed praxis, & usus
 „diffimilitudinem tolli magnopere cu-
 „pientes, nostram pro eo, quo indigni
 „fungimur, Vicarii Apostolici munere
 „sententias sciscitati sunt, ac ne con-
 „tinuis Conscientiæ scrupulis, & an-
 „goribus premerentur, *aliquid saltem*
 „per interim a nobis decerni scæpius insti-
 „terunt: Rerum autem gravitas fecit,
 „ut non ita cito responderimus, atque
 „illi exoptabant. Etsi enim jam a
 „multo tempore bon. mem. Episcopi
 „Heliopolitani, olim Vicarii Apосто-
 „lici Fokiensis, & Sinarum Missionum
 „Generalis Administratoris jussu, cum
 „suas Nobis vices demandaret, his
 „rebus incumberemus, nova tamen
 „& acrior diligentia, postquam ad Apo-
 „stolicum Vicariatum a sancta sede electi
 „fuimus, adhibenda esse visa est. Qua
 „in re id vere affirmare possumus, ni-
 „hil a nobis sponte prætermissum fuisse,
 „ut sive ex Sinicis fontibus, sive ex
 „Commentariis, hoc in genere, Eu-
 „ropæo idiomate conscriptis, quoscun-
 „que habere potuerimus, sive ex eru-
 „ditorum virorum consortio veritatem
 „indagaremus. Et quod omnium ma-
 „xime necessarium est, Deum jugi Sa-
 „crificio, & assiduis precibus obsecra-
 „vimus, ut tenebras nostras illumina-
 „ret,

„ret, & semitas suas, quodque placitum, & acceptum est in oculis suis, edoceret.,”

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

„Cum itaque Decretis, & Constitutionibus Apostolicis sancitum sit, ad Apostolicos Vicarios spectare, ut iis, quæ ad Cultum Divinum, & bonos mores pertinent, intra suorum Vicariatum fines provideant, ut hac in parte officio nostro faciamus satis, omnibus & singulis Vicariatus nostri Missionariis observanda præcipimus, quæ sequuntur, donec aliter ab Apostolica sede decretum fuerit.,”

Primo. „Exclusis nominibus Europæis, quæ non nisi barbaro quodam modo Sinicis literis & vocibus exprimi possunt, Deum Opt. Max. longo usu recepto nomine TIEN CHV, *Cæli Dominum* appellandum esse statuimus, ita, ut duæ aliæ Sinicæ voces TIEN *Cælum*, & XANG TI *Supremus Imperator* prorsus repellantur; Multo minus affirmetur, id, quo Sinæ præfatis nominibus TIEN & XANG TI intelligunt, Deum esse, quem Christiani colimus.,”

Secundo. „Districte prohibemus, ne in ulla Ecclesia Tabella quædam, cui hæ duæ literæ COELUM CO-LITO, KING TIEN inscriptæ sunt, appendatur, & ubicunque appensa fuerit.,”

„fue-

Sæc. XVII. „fuerit, intra duos menses auferri
 A. C. 1693. „mandamus, cum aliis ejusdem sen-
 „sus Tabellis & versibus, in quibus
 „nomina TIEN & XANG TI Deo af-
 „finguntur. Ac nostro quidem judi-
 „cio, cum omnes illæ Tabellæ, tum
 „ea inprimis, quæ literas KING TIEN
 „continet, ab Idololatria excusari non
 „possint. Tametsi vero non ita certa
 „res esset, ac nobis videtur, vel ipsa
 „periculi suspicio, ne ab Evangelii Mi-
 „nistris abominatio desolationis in loco
 „Sacro collocetur, nos ab ejusmodi
 „Tabellis deterrere debet: Maxime
 „cum experientia nobis constet, eos
 „Vicariatus nostri Missionarios, quo-
 „rum in Ecclesiis illæ Tabellæ non
 „habentur, nihilo ad Evangelium præ-
 „dicandum imparatiores esse, nec mi-
 „norem, quam alii, laborum suorum
 „fructum percipere.„

Tertio. „Quæsitæ super capitibus
 „summo Pontifici Alexandro VII. pro-
 „posita multis in rebus non esse veri-
 „dica declaramus: ac proinde Missio-
 „narios responsis ab Apostolica sede,
 „recte quidem, & Sapienter, ac juxta
 „circumstantias in dubiis expressas da-
 „tis, inniti non posse, ad usitatum a-
 „pud Sinas Confucii, & Progenito-
 „rum cultum permittendum.„

Quarto.

Quarto. „Missionarii nullatenus, Sæc. XVII. A. C. 1693.
 „nullaque de causa Christianis per-
 „mittant, solemnibus, quæ semel &
 „iterum singulis annis Confucio, &
 „Progenitoribus offerri solent, Sacri-
 „ficiis, seu oblationibus præesse, mi-
 „nistrare, aut interesse; quas oblatio-
 „nes superstitione imbutas esse de-
 „claramus. „

Quinto. „Missionarios, qui in locis,
 „ubi Evangelio operam navant, Ta-
 „bellarum in defunctorum honorem
 „privatis in domibus erectarum usum
 „abolere studuerunt, magnopere lau-
 „damus, atque, ut eo, quo cæperunt,
 „pede in posterum pergant, adhorta-
 „mur: Ubi vero hunc usum tollere
 „difficilius erit, ad hoc saltem res tem-
 „peramentum revocetur, ut sublatis
 „literis XIN CHV XIN GOEI LING
 „GOEI, solummodo defuncti nomen
 „Tabellæ inscribatur, aut ad summum
 „litera GOEI superaddatur: ac ne
 „hujusmodi Tabella, (quam in præ-
 „dicta forma, donec Apostolica Sedes
 „de re ipsa judicaverit, non omnino
 „reprobamus) superstitione accipiatur,
 „in loco, ubi Tabellæ privatis in do-
 „mibus erigi solent, scripta majoribus
 „characteribus declaratio apponatur,
 „in qua, & quæ sit Christianorum de
 „defunctis fides, & qualis filiorum,
 „*Hiß. Eccles. Tom. LXVI.* H „ac

Sæc. XVII. „ac nepotum in Progenitores pietas
A. C. 1693. „esse debeat, enuntietur; cuius de-
 „clarationis formam ad hujus Mandati
 „calcem tradidimus, neque tamen pro-
 „hibemus aliam ejusdem sensus ap-
 „poni, si modo prius a nobis appro-
 „bata fuerit. „

Sexto. „Cum nonnulla, seu verbo,
 „seu scripto evulgari animadvertimus,
 „quæ incautos in errorem inducunt,
 „& viam ad superstitionem patefa-
 „ciunt, V. G. Philosophiam, quam
 „Sinæ profitentur, si bene intelliga-
 „tur, nihil habere legi Christianæ
 „contrarium. „

„Nomine TAYKIE, Sapientissimos
 „Priscos, Deum causam primam re-
 „rum omnium definire voluisse. „

„Cultum, quem Confucius Spiriti-
 „bus adhibuit, civilem potius, quam
 „Religiosum fuisse. „

„Librum, quem Sinæ IE KING
 „appellant, summam esse optimæ Do-
 „ctrinæ physicæ & moralis. „

„Hæc & similia, uti falso, temere,
 „& scandalose dicta, scriptave, districte
 „inhibemus, ne in toto Vicariatu no-
 „stro disseminentur. „

Septimo. „Caveant Missionarii, ne
 „qui Christiani Sinicos libros in Scho-
 „lis legunt, Atheismum, & diversas
 „superstitiones, quibus illi libri, tam
 „in-

„in textu quam in commentariis, sca- Sæc. XVII.
 „tent, in auditorum animos infundant, A. C. 1693.
 „sed illos Missionarii admoneant, ut
 „obvios errores refutent, & errorum
 „occasione, quæ de Deo, de mundi
 „creatione, & Gubernatione Christia-
 „na Religio tradit, discipulos diligen-
 „ter edoceant, atque eosdem Chri-
 „stianos Missionarii frequenter com-
 „monefaciant, ne (quod facile con-
 „tingit) suis inscriptionibus aliquid e
 „Scholæ literariæ principiis legi Chri-
 „stianæ contrarium admisceant. Sunt
 „& aliæ quæstiones, quas hac via non-
 „dum attingimus: quia cum memora-
 „tis capitibus, quæ præcipua sunt, &
 „e quibus alia magna ex parte depen-
 „dent, provisum fuerit, facilius erit,
 „quid in cæteris tenendum sit, præ-
 „scribere, & in usum inducere. „

„Si quis autem Missionarius, quod
 „absit, nulla habita hujus declaratio-
 „nis, & Mandati ratione, intra duos
 „menses, memoratas Tabellas, & ver-
 „sus ab Ecclesiis suis aut domibus non
 „auferat, aut intra præfatum tempus
 „manum operi non adhibeat, ut quas
 „præscribimus, regulas in usum &
 „morem inducat, concessas ei a nobis,
 „& a quocunque alio Vicario, & Pro-
 „vicario Apostolico facultates per præ-

H 2

„sen-

Sæc. XVII. „fentes revocamus, ac pro tempore
 A. C. 1693 „præfato revocatas esse declaramus.„

„Neque tamen hac præfenti decla-
 „ratione, & Mandato eos culpæ in-
 „tendimus, qui aliter antea censue-
 „runt, aliamque praxim secuti sunt ab
 „ea, quam in posterum sequendam esse
 „statuimus. Mirum enim videri non
 „debet, si in rebus hujusmodi Missio-
 „narii omnes unius ejusdemque Sen-
 „tentia non fuerint, & eam unus-
 „quisque praxim amplexus sit, quæ
 „sibi in Domino magis veritati consona
 „videbatur. Nunc vero in hoc omnes
 „studia nostra conferamus, ut idem
 „sapiamus, ut unanimes uno ore ex-
 „hibeamus istam Ecclesiam non ha-
 „bentem maculam, aut rugam, sed
 „ut sit sancta, & immaculata; ac Deus
 „pacis, & dilectionis erit nobiscum.
 „Datum in Oppido Changlò Provincie
 „Fokiensis die 26. Martii 1693.

CAROLUS Maigrot,
Presbyter Vicarius Apostolicus
Fokiensis.

Quam graves autem tumultus con-
 tra hoc edictum fuerint suscitati, post-
 ea recensebimus.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XL.

*Thesis de verisimilitudine Religionis
proscripta.*

Hoc item anno die trigesima Martii
P. Honoratus Jesuita in Collegio *Argentre*
Cadomensi in Normania Theologiæ *Coll. Jud.*
Professor inter alias Theses hanc quo- *t. 3. p. 373.*
que exposuit, ac publice tradidit: *Binn. App.*
part. 8. l. 13.
Non est evidens, quod in mundo detur vera Re-
ligio, quod Religio tamen Christiana inter *c. 3. art. 24.*
omnes sit maxime verisimilis: Cum ergo *Mem. Chron.*
hic Auctor nonnisi verisimilitudinem *Et Dogm.*
religioni Christianæ adstruendo evi-
dentiam credibilitatis atque certam in-
fallibilemque Religionis veritatem ex-
cludere visus fuerit, hæc doctrina ma-
ximum inter Doctores rumorem, po-
pulique offensionem excitavit (): qua-*
pro-

H 3

(*) P. Binner hunc Socium excusaturus ait,
quod hic Author de evidentia stricte tali,
quæ libertatem credendi excludit, loqui vi-
deatur, proin nullam mereatur censuram,
in hoc tamen culpandus, quod non satis in-
ter hanc evidentiam, & evidentiam mora-
lem distinxerit: Verum in Actis Parisinæ
Universitatis apud Argentreum hæc Hono-
rati Thesis ita exposita legitur: *Non est evi-*
dens evidentia physica Et MORALI, religio-
nem Christianam esse veram.

Sæc. XVII. propter Societatis Superiores, ut novi
A. C. 1693. ac perniciosi dogmatis calumniam a
 se amolirentur, hanc Thesin quibus-
 dam sui Instituti Theologis examinan-
 dam tradiderunt: Hi vero post matu-
 ram deliberationem censuerunt, hanc
 Thesin esse *temerariam, scandalosam, at-*
que etiam impiam, si termini in rigore ac-
ripiantur: Approbato horum iudicio
 P. Honoratus iussus est Thesin suam
 eo verborum tenore, quem eidem Pa-
 risiis Superiores sui præscripserant,
 publice retractare, ac quamprimum
 contrariam exponere defendendam:
 Nihilominus Pater Honoratus aut de
 suæ doctrinæ veritate perperam per-
 suasus, aut errorem pertinaciter de-
 fendere assuetus, ita illam retractavit,
 ut potius suis Censoribus insultare vi-
 deretur; eis enim scriptum opposuit,
 cui titulus: *Pharmacum scandali accepti,*
non dati. Verum Superiores hac in-
 obedientia offensi, Honoratum cathedra
 moverunt, successori injungentes, ut
 revocata Honorati sententia, sanio-
 rem doctrinam traderet. Insuper etiam
 Sorbona hanc Honorati doctrinam acri-
 censura insectabatur, atque anno Christi
 millesimo septingentesimo Clerus Gal-
 licanus in suis Comitibus Generalibus
 tacito tamen Authoris nomine hanc
 opinionem tanquam impiam & Blas-
 phemam

phemam damnavit, eique censorium stigma inussit: Cum ergo P. Honoratus se ab exteris ubique damnatum, & a suis derelictum, oppressumque cerne- ret, ipse hanc doctrinam ceteraque ei haud absimilia retractavit.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLI.

*Nova Eliæ Dupini Bibliotheca apud
Archiepiscopum Parisiensem
denuntiata.*

Jam anno hujus sæculi nonagesimo Elias Du Pin Sorbonæ Doctor ac Regius Professor novam suam Scripto- rum Ecclesiasticorum Bibliothecam con- scribere cæperat, atque hoc anno se- ptimum volumen e prælo receperat: mox autem nonnulli, qui Sorbonæ Doctores toties tamque facile in cen- suras librorum præcipue a Jesuitis edi- torum prorupisse, moleste ferebant, Dupini libros velut pluribus, iisque e- normibus mendis scatentes, apud Fran- ciscum Harlæum Parisiensem Archi- episcopum denuntiarunt. Hic vero, ne hac in re præcipitis judicii calum- niam sibi accerferet, quatuor Parisinæ Facultatis Doctores selegit, quorum singuli quodlibet Dupini volumen se- dulo pervolverent, & diuturna æque ac matura inter se deliberatione ha-

*Binner l. c.
pag. 730.
Argentre
l. c. p. 390.*

Sæc. XVII. bita desuper suum proferrent iudicium:
 A. C. 1693. ipsemet etiam Archiepiscopus, omni
 possibili attentione hos libros ad trutinam vocavit.

§. XLII.

Dupini Declaratio circa objectos sibi errores.

*Argentre
l. c.*

Postquam Deputati Doctores in pluribus Sessionibus auditi retulerant, in cunctis Dupini libris plurimas falsas juxta ac temerarias propositiones reperiri, Archiepiscopus hoc opus adeo non Ecclesiæ proficuum, ut potius illud, si promiscua illius lectio permitteretur, fidelibus oppido noxium fore, censuit: quocirca Dupinum præsentibus Deputatis Doctoribus tertio adesse iussit, omnique humanitatis genere exceptum rogavit, ut rationem redderet

- I. De dubiis a se motis circa libros Canonicos.
- II. De sprete Patrum traditione.
- III. De contemptu Conciliorum.
- IV. De negato sacræ Sedis Primatu.
- V. De hæresum & Hæreticorum favore.
- VI. De irrisione hominum devotorum.
- VII. De vilipensione SS. Patrum.
- VIII. De injuriis in Casuistas & Scholasticos effusis.
- IX. De neglecto Auctorum selectu.
- X. De dictis contra Symbolum Apostolorum.

rum. XI. De contemptis miraculis, *Sæc. XVII.*

revelationibus &c. XII. De adulterato Authorum sensu: *A. C. 1693.*

Cuncta hæc accusationum capita Dupinus maxima submissione hunc in modum diluere nitabatur: „Maturius Deputatorum observationes perpendens fateor, quod reipsa mihi exciderint expressiones quædam nimium duræ, obscuræ, & scandalosæ, aliquæ etiam fors falsæ, & præter mentem meam contrariæ veritatibus, quas semper veneratus sum, & in Ecclesia tenendas credo: quapropter obscura dilucidare, nimis asperas expressiones emollire, & in reprobum sensum interpretandas declarare, me obstrictum sentio, ut me Orthodoxum esse, ac nonnisi ex inadvertentia peccasse, testatum reddam: Primo igitur admitto, prout semper admisi tanquam libros Canonicos, cunctos in Concilii Tridentini Canone Sess. 4. expressos, tanquam inspirante Numine scriptos, de quorum auctoritate nemini dubitare liceat, & quamvis eorum aliqui in primis sæculis a quibusdam Ecclesiis privatis non fuerint recepti, jam tum ab Ecclesia tanquam S. Scripturæ libri agniti, & ut tales a pluribus Patribus citati fuerint: quapropter hæc propositiones mei libri Diff. prælim.

H 5

„Fol.

Sæc. XVII. „Fol. 126. *Circa libros veteris Testamenti*
 A. C. 1693. *Antiquitas Christiana secuta est Canonem*
Hebræorum, & Tom. 1. p. 186. Non
 alios V. T. libros Canonicos agnoverunt,
 quam in Hebræorum Canone contentos,
 „non generaliter de omnibus Ecclesiis,
 „cunctisque primorum trium sæculo-
 „rum Patribus intelligendæ sunt, &
 „quamvis mea verba expresse non
 „distinguant inter Proto - Canonicos,
 „& Deutero-Canonicos, de his tamen
 „intelligi volo. Præterea cum Sixto
 „Senensi de sex postremis Capitibus
 „libri Ester dubitari, ac cum illo pro-
 „pugnari posse, existimabam, quod
 „huic libro addita, nec in Tridentini
 „Canone contenta fuerint: edoctus au-
 „tem, quod Ecclesia admittat libros in-
 „tegros cum omnibus suis partibus, prout
 „in Ecclesia Catholica legi consueverant,
 „mutata mea sententia eos tanquam
 „Canonicos admitto, quamvis mea ar-
 „gumenta potissimum probare videan-
 „tur, quod præfata capita sint ab alio
 „Authore, quam qui reliquum libri
 „Ester scripsisset.,

„Ad secundum circa traditionem
 „fateor, quod circa quædam fidei dog-
 „mata a quibusdam Patribus recesser-
 „im, præcipue a SS. Justino & Irenæo
 „circa animæ immortalitatem, inferni
 „æternitatem, & quidem ob duos tex-
 „tus

„tus sat difficiles, qui non nisi ex multis Sæc. XVII.
 „aliis, ubi hæc dogmata adstruuntur, A. C. 1693.
 „explicari possunt. Hanc tamen sen-
 „tentiam nec S. Hilario, nec S. Cy-
 „rillo attribui, quando enim dixi san-
 „ctum Hilarium statuisse, quod *impii*
 „*velut annihilati sint per ignem inferni* non
 „intendi dicere, quod *penitus annihi-*
 „*lati sint*, sed uti S. Hilarius dixit:
 „*Non nihilum dissoluti, sed in inane, ac*
 „*leve, aridumque protriti.* Fateor au-
 „tem, quod in textu S. Cyrilli per in-
 „advertentiam loco *Dei* nomen *Jesu*
 „*Christi* posuerim, hunc textum ita
 „interpretatus: *Anima est immortalis*
 „*per Jesum Christum, qui eam immorta-*
 „*lem reddidit.* „

„Peccatum originale tanquam Ec-
 „clesiæ dogma admitto, quando autem
 „dixi Tom. I. p. 534. quod *S. Cyprianus*
 „*de eo primus sat clare locutus sit* & pag.
 „689. quod primorum trium sæculorum
 „*Patres non consentire videantur, quod*
 „*infantes in peccato nascantur, & dam-*
 „*natione digni sint*, nec negare intendi,
 „illud a S. Patribus non fuisse creditum,
 „sed duntaxat, eos non adeo clare,
 „sicut S. Cyprianus, locutos fuisse:
 „quoniam vero deprehendo, quod S.
 „Justinus, & Irenæus, necnon Tertul-
 „lianus & Origenes clare de eo locuti
 „sint, hinc meam sententiam revoco,
 „fateor

Sæc. XVII. „fateor etiam, quod S. Chrysoſtomus
 A. C. 1693. „peccatum originale crediderit, & poſt
 „eum S. Auguſtinus, & quod illud non
 „ſtatuerit in ſola inclinatione ad ma-
 „lum, ſed & in culpa, quæ ejus eſt
 „principium: intendebam ergo dun-
 „taxat, quod hi duo Patres inter ſe
 „diſſenſerint circa pœnam ſenſus inin-
 „fantibus ſine Baptiſmo decedentibus.

„Proſiteor etiam, quod nomen *Ma-*
 „*tris Dei* non modo ſit *innocens* expreſ-
 „ſio, ſed ex traditione Apoſtolica pro-
 „veniat, & quod ita B. V. non modo
 „poſſit, ſed & debeat appellari.

„Proſiteor quoque me admittere
 „Purgatorium, prout ab Eccleſia, Con-
 „ciliis & SS. Patribus admittitur, im-
 „merito ergo pag. 61. & 64. dixerim:
 „*quod nihil poſitivum in Patribus primo-*
 „*rum trium ſæculorum reperiatur, & quod*
 „*in ſuis libris Purgatorii doctrinam, prout*
 „*hodie traditur, non docuerint, locutus*
 „duntaxat ſim de quibusdam Purga-
 „torii circumſtantiis, quæ a Theologis
 „diverſimode explicantur.

„Quod autem de novo S. Auguſtini
 „ſyſtemate circa gratiam & prædeſti-
 „nationem dixi, non de neceſſitate gra-
 „tiæ, ſed de modo agendi per gratiam
 „ex ſe efficacem, & de prædeſtinatio-
 „ne gratuita, & de aliis quæſtionibus
 „adhuc inter Theologos controverſis

„in-

„intelligenda sunt. Fateor quidem Sæc. XVII.
A. C. 1693.
 „me dixisse Tom. I. p. 554. quod *S. Cy-*
 „*prianus fuerit primus, qui sat clare de*
 „*necessitate gratiæ locutus sit*, propterea
 „tamen non exclusi ceteros Patres,
 „sed ipse allegavi S. Justinum, Ire-
 „næum, Clementem pluresque alios:
 „Referendo etiam Semipelagianorum
 „doctrinam, non bene eorum errores
 „segregavi a veritatibus Catholicis,
 „quas adhuc tenuerunt, v. g. quod
 „Christus mortuus sit pro salute om-
 „nium hominum, non tamen unum
 „cum altero confundere intendi: di-
 „versas quoque S. Augustini propositio-
 „nes referendo, usus sum quandoque
 „terminis, qui in rigore sumpti errorem
 „indicarent, v. g. *liberum & volunta-*
 „*rium pro una eademque re, & solam ne-*
 „*cessitatem a coactione oppositam esse liber-*
 „*tati*: adhæreo autem definitioni Ec-
 „clesiæ & Pontificum Constitutionibus
 „ab ea receptis. „

„Me errasse fateor, dicendo: Men-
 „sam Sacram in primis tribus sæculis
 „non fuisse nominatam Altare, in quo
 „Eucharistia celebraretur. Credo e-
 „tiam circa Sacramentum Pœnitentiæ,
 „distinctionem peccatorum, confessio-
 „nem & absolutionem esse juris Divini,
 „hinc detestor omnia, quæ deduci
 „possent ex iis, quæ dixi de *pœnitentia*
 „publi-

Sæc. XVII. „publica, & quotidiana, & si dixi, quod
 A. C. 1693. „Confessio singulorum peccatorum sit pia
 „praxis valde usitata inter fideles sexti sæ-
 „culi, non intendi, quasi non antea
 „jam pro peccatis venialibus in usu
 „fuerit, sed duntaxat, quod horum
 „peccatorum confessio postmodum fre-
 „quentior fuerit, quam antea.,,

„Profiteor omnia in Canone VII
 „Sess. 24. contenta, scilicet damnari
 „eos, qui credunt, Ecclesiam errare
 „circa indissolubilitatem matrimonii,
 „illud dissolvi non posse propter adul-
 „terium, non obstantibus iis, quæ
 „circa hoc notat Pallavicinus, proin-
 „declaro, me negare noluisse, quod
 „hæc doctrina sit Evangelica, sed dun-
 „taxat dixisse, quod quidam contra-
 „rium secuti sint.,,

„Circa ea, quæ juxta Jobium Mo-
 „nachum de processione Filii & Spiritus
 „Sancti dixi, non ea mente effa-
 „tus sum, quasi inter processionem Spiritus
 „Sancti & inter generationem Verbi
 „non esset vera & realis differentia sed
 „duntaxat, quod intellectus humanus
 „non possit assequi, in quo consistent.,,

„Immerito etiam laudavi Socratem,
 „dicentem, quod *controversia de die, in
 „qua Pascha celebretur, exigui momenti sit.*

„Ad tertium caput de Conciliis pro-
 „fiteor, me toto corde amplecti Con-
 „cilia

Sæc. XVII.

A. C. 1693.

„cilia Generalia, eorumque definitio-
 „nes circa dogmata tanquam fidei ar-
 „ticulos, eaque utilia, & quandoque
 „ad proscribendos errores, & stabi-
 „liendam Doctrinam Catholicam &c.
 „necessaria esse, quamvis ob hæreti-
 „corum pertinaciam, hominum mali-
 „tiam, & violentiam, quandoque
 „sperata Ecclesiæ pax non sequa-
 „tur, atque in hoc sensu dicta volo,
 „quæ habentur pag. 435. scilicet, ra-
 „rum esse, quod Concilia Generalia in re-
 „bus fidei celebrata, per suas definitiones
 „pacem Ecclesiæ reddiderint.

„Mea distinctio inter articulos fun-
 „damentales, & non fundamentales, Prin-
 „cipales & non principales est longe di-
 „stincta ab illa hæreticorum: nam per
 „fundamentales intelligo omnia, quæ
 „expresse credere tenemur, & quæ
 „contenta sunt in Symbolo: Hæretici
 „autem volunt, dari articulos definitos
 „in Ecclesia, quos negare licet.

„Circa unionem hypostaticam dua-
 „rum naturarum in Christo, eam om-
 „nino juxta Concilium Ephesinum pro-
 „fiteor, & anathematizo errorem, per-
 „sonam, & asseclas Nestorii; quando au-
 „tem dixi: *Ægypti Monachos a S. Cyrillo*
 „admonitos fuisse, ne ejusmodi abstractas quæ-
 „siones inutiles moverent, hæc verba non Ca-
 „tholicæ doctrinæ defensoribus, sed Ne-
 „storio

Sæc. XVII. „istorio applicanda sint: nec per ea verba
 A. C. 1693. „pag. 69. *S. Cyrillus suarum partium*
 „*Studiosos veritus* indicare volui, quasi
 „Cyrillus Antesignanus fuisset cujus-
 „dam factionis, similis factioni Nesto-
 „rianæ, igitur hoc nomen *partium* in
 „sano sensu intelligendum est. Oblitus
 „etiam fui admonere Lectorem, quod
 „criminationes contentæ in epistola
 „Imperatoris ad S. Cyrillum relatæ
 „pag. 701. non sint veræ, sed quod
 „hic Princeps ab hostibus S. Cyrilli cir-
 „cumventus fuerit, quando autem
 „pag. 705. dixi, quod *Episcopi Conci-*
 „*lium habuerint, nondum præsentibus Se-*
 „*dis Apostolicæ Legatis, & reluctantibus*
 „*sexaginta octo Episcopis*, non intende-
 „ram insinuare, quod Episcopi illegi-
 „time Synodum habuerint, aut quod
 „hujus oppositionis ulla habenda fue-
 „rit ratio. „ Plura adhuc alia circa
 hoc Concilium reprehensione digna ex-
 cusabat Dupinus.

Circa Cælibatum Sacerdotum &
 Diaconorum se nil usui primorum trium
 Sæculorum adversum dicere voluisse,
 profitebatur.

Ad quartum autem caput de Pri-
 matu S. Sedis fassus est, quod hunc
 ejusque extensionem uberius ex Con-
 ciliis, Patribus, aliisque Auctoribus
 Ecclesiasticis probare debuisset, pariter
 quod

quod hæc verba: *coacti per Sacros Ca-* Sæc. XVII.
nonas & epistolam Cælestini perperam ita A. C. 1693.
traduxerit, coacti juxta epistolam Cæ-
lestini, & hæc Concilii Calcedonensis
verba: restituit ei Episcopatum, male ita
reddiderit: habuit eum pro Episcopo.

Hæc autem verba Tom. 5. pag. 5.
Missiones deservierunt ad extendendam
Pontificis auctoritatem, non de jure Pri-
matus, sed de actuali extensione suæ
jurisdictionis intelligi voluerit: quan-
do autem dixit, quod S. Augustinus &
Theodoretus Urbanitatis studio Ecclesiæ
cessitudinem extulerint, de Urbanitati-
bus veritati innixis, se locutum pro-
fessus est. Fatebatur, quod minus reve-
renter de quibusdam S. Patribus, præ-
cipue de SS. Cornelio & Stephano, Zo-
zimo S. Innocentio ac Leone Pontifi-
cibus Tom. 1. p. 460. & Tom. 3. p. 388.
locutus fuerit.

Ad quartum Caput de favore hæ-
 reticorum declarabat, quod præter
 mentem suam, nimiam existimationem
 erga illos prodiderit, ac nunquam di-
 xisse vellet, quod *sine temeritate Eusebio*
prærogativa sancti denegari non possit, &
quod nunquam terminum Consubstan-
tialis approbaverit, etsi perfectam æ-
qualitatem inter Patrem & Filium ad-
miserit, insuper addidit Dupinus, quod
per hoc verbum, nugas, Vigilantii er-
Hist. Eccles. Tom. LXVI. I rores

Sæc. XVII. rores contra invocationem Sanctorum
 A. C. 1693. & Reliquiarum excusare, vel omnes
 Genadii opiniones approbare non in-
 tenderit.

Circa sextum Caput de irrisionibus proborum hominum testabatur Dupinus, se optare, ut prima tria quarti & quinti Tomi folia delerentur, quamvis inde Protestantes nil inferre possint in præjudicium Ecclesiæ, quæ in fide immutabilis, disciplinam mutare possit: Profitetur denique quotidianam Missæ celebrationem esse praxin sanctam, sicut & frequentes peccatorum venialium confessiones.

Ad septimum Caput de SS. Patribus, fatetur, quod sæpius de illis minus reverenter locutus, omiserit annotare, quod Photii dicta de libris S. Irenæi non respiciant eos, quos nunc habemus: reprobat etiam, quæ in laudem Novatiani, & in vituperium SS. Cornelii, Gregorii Nazianzeni, Epiphani, Hieronymi, Severi Sulpitii, S. Paulini, Cyrilli, & Chrysologi dixit, hæc autem præter intentionem suam sibi excidisse declarabat.

Ad octavum Caput de Scholasticis, profitetur, se non omnes carpisse, sed duntaxat eos, qui nimium quæstionibus subtilibus, logicalibusque difficultatibus inhærent, neglecto S. Scripturæ &

& Traditionum studio; quando autem dixit, quod *S. Thomas obiter & sine crisi S. Patres alleget*, intendisse declarat, quod hic Doctor juxta ævi sui morem Auctores sine exacta crisi citet.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Ad nonum Caput de excerptis ex Authoribus, fatetur, quod promiscue bona & mala ex illis descriperit, nec eorum errores correxerit.

Circa decimum de quæstionibus criticis declarabat, quod quamvis Symbolum Apostolorum fit formula fidei quoad substantiam ab eis concepta, quidam termini tamen non in omnibus Ecclesiis iidem fuerint, & quod institutio quadragesimæ sit Apostolica, nec ipse contrarium probare intenderit.

Ad undecimum de miraculis, revelationibus, apparitionibus, & pietatis exercitiis respondet, quod dicendo: *Eusebium de inventione Crucis nullam fecisse mentionem* non intenderit in dubium vocare ipsius inventionis historiam, & miracula tunc patrata: magis autem assertive loqui debuisset de iis, & de revelatione facta S. Cypriano & de miraculosa sanatione Leonis III. ab Anastasio Bibliothecario relata: quando autem dixit, quod tempore S. Hieronymi in usu non fuerit, cereos ad plenam diei lucem accendere in honorem Martyrum, non intende-

Sæc. XVII. tenderit modernum Ecclesiæ usum
A. C. 1693. carpere.

Ad postremum denique caput de adulterato Authorum sensu, se humana passum fuisse fatetur Dupinus, sed tamen ex inadvertentia, paratum vero esse, cuncta emendare: fatetur quoque, quod perperam scripserit, Philostorgium dixisse, quod secundus liber Machabæorum sit minoris auctoritatis, quam primus, cum tamen hic duntaxat dixerit, eum esse ab alio Authore: male etiam Hipatium citasse, quasi dixisset, *non attendendum esse, quid quilibet Apostolus scripserit, aut circa legalium rituum observantiam fecerit*, cum tamen hic Author duntaxat dicat: *circa ea, quæ quilibet egit*: Declaravit etiam, quod textus Cassiani in Tom. 3. part. 2. pag. 38. non sit intelligendus *de lege & obligatione observandi jejunium*, sed de ratione suæ institutionis, & quod S. Hieronymus in Epist. 129. non dixerit, *quod Epistola ad Hebræos & Apocalypsis ab aliquibus Ecclesiis Græcis & latinis non recipiantur*, sed quod quamvis quædam latinæ Ecclesiæ epistolam ad Hebræos, & quædam Græcæ Apocalypsin non recipiant, ea nihilominus a veterum testimonio auctoritatem habeant.

His

His ita declaratis Dupinus hæc addidit: „Hæc præcipua sunt, quæ mihi „objecta fuere, si adhuc alia in meis „operibus offensionem sunt, ea diluci- „dare, mutare, corrigere & revocare „paratus sum; non alio enim ex fine „calamum arripui, nisi ut veritatem „investigem, & ædificem Ecclesiam. „Pro ingenti, quam Deus Auctoribus „confert, gratia cum D. Augustino ha- „beo, si eis suos libros per lectorum „ac censorum judicia magis eruditos, „magisque exactos reddendi occasio- „nem præbet; *Ego autem cum per eos, qui meos labores legunt, non solum do- „ctior, verum etiam emendatior fio, pro- „pitium mihi agnosco Deum, & hoc per Ec- „clesiæ Doctores, maxime exspecto, si & in „ipsum manus venit, dignanturque nosse, quod scribo: Maximo etiam mihi ho- „nori duco, quod Judicem nactus sim „Præsulem toto Regno doctissimum, „cujus iudicio me submitto sine ulla „restrictione aut limitatione.* „

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLIII.

*Hujus Auctoris Bibliotheca a Pari-
sienſi Archiepiſcopo proſcripta.*

Hoc scriptum Dupinus Archiepiſcopo Parisienſi velut libri ſui apologiam, atque orthodoxiæ teſtimonium tradi-
derat,

*Hode vie de
Louis XIV.
l. 5. p. 107.
Bossuet op.
poſth. vol. 2.*

Seco. XVII.
A. C. 1693

derat, quoniam vero plures adhuc
propositiones gravi censura dignæ,
quas Author silentio præterierat, in
eo continebantur, hinc illimitata sua
submissione nil aliud impetrare pote-
rat, nisi ut Archiepiscopus ejus per-
sonæ parcens, libri doctrinam perstrin-
geret die decima sexta Aprilis hanc
pronuntians sententiam: „Utinam hoc
opus limitatæ correctionis capax esset,
& duntaxat Authori indicare ac præ-
scribere possemus, quæ intactis cete-
ris corrigenda essent, nec totum li-
brum ex integro suppressere cogere-
mur: malum vero per totum ferme
opus dispersum nos compellit, ut hunc
librum damnemus, ejusque lectio-
nem omnibus nostræ curæ subjectis
prohibeamus, ne malum latius ser-
pens Ecclesiæ noceat, & hæretici eo
contra Catholicos abutantur: pro-
pterea implorato Spiritus sancti ad-
jutorio librum, cui titulus: *Nova Bi-
bliotheca* damnavimus & damnamus
ceum continentem plures propositiones
falsas, temerarias, scandalosas, pia-
rum aurium offensivas, Traditioni de
libris Canonice pluribusque alijs fi-
dei articulis contrarias, Conciliis Oe-
cumenicis, Sedi Apostolicæ, & Ec-
clesiæ Patribus injurias, erroneas,
& ad hæresin inducentes. Igitur sub
pœnis

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

„pœnis in jure statutis serio omnibus
 „nostris utriusque sexus Diæcesanis
 „inhibemus, ne hunc librum legant,
 „aut legi curent, nec illius lectionem
 „suadeant, nec in ædibus suis, aut
 „alibi retineant, sed quantocius nobis
 „tradant: Hujus nostri mandati execu-
 „tionem injungimus nostris Ecclesia-
 „sticæ Curix Ministris, præcipientes,
 „ut illud ad Ecclesiarum januas tam in
 „urbe quam in suburbiis affigant, imo
 „etiam, si opus fuerit, Magistratum
 „opem implorent &c., Pariter Inno-
 centius XII. die prima Julii hoc anno
 Dupini Bibliothecam proscriptis libris
 accenseri jussit, sicut jam anno hujus
 sæculi octogesimo octavo ejusdem Dis-
 sertationes Historicas de antiqua Ec-
 clesix disciplina Innocentius XI. die
 vigesima secunda Januarii proscripse-
 rat: graviore adhuc censura Dupini
 libros postmodum notavit Clemens XI.
 ut suo loco referemus: Ceterum nil
 intimius Protestantium præcordia cor-
 rodit, quam palinodia, qua Scripto-
 res Catholici hallucinationes suas vel
 ex inadvertentia, vel novitatum pru-
 rigine divulgatas publice retractant,
 ac de emendatis suis operibus gratias
 agunt: hinc quos antea velut potentes
 suæ sectæ Patronos immensis elogiis
 cumularunt, mox facta revocatione

Sæc. XVII. A.C. 1693. tanquam imbelles, timidos, stupidos-
 que exhibent, aut si mitius adhuc-
 dum cum eis agunt, eorum palinodiam
 nonnisi fictam, simulatamque fuisse di-
 vulgant: Ita etiam Dupinum in libri
 sui damnationem nonnisi simulate con-
 sensisse jactitant, eodem ducti argu-
 mento, quo nuperam Præsulum Gallo-
 rum palinodiam ad artificiosam simu-
 lationem reponebant, scilicet quod *Du-
 pinus pariter in ceteris suæ Bibliothecæ to-
 mis, aliisque operibus priorem sentiendi mo-
 dum ac principia retinuerit:* „Ceterum Bos-
 „suetius de Dupini libris hoc tulit ju-
 „dicium, timendum est, ne Catholici
 „inadvertenter exinde novitatis, ac te-
 „merariæ crisis contra S. Patres vene-
 „num hauriant, præcipue cum hæc pestis
 „hodiedum inter Doctos Viros nimium
 „grassetur, Dupini tamen labores Ec-
 „clesiæ erunt utiles, dummodo absint
 „qui ei adulantur, & ipsemet minus
 „præcipiti calamo sed potius ad se-
 „cundas curas sua opera revocet,
 „suamque Theologiam magis solidam,
 „& crisi suam magis exactam, ma-
 „gisque consideratam reddat. „

§. XLIV.

Gallica sancti Chrysostomi versio apud eundem Archiepiscopum Parisensem denuntiata.

Anno hujus sæculi nonagesimo quidam nomine Fontana olim Arnaldo & Sacyo Portu Regiensi a secretis Homilias S. Joannis Chrysostomi in Epistolam D. Pauli Gallice reddidit, forte, ut otium fugeret, aut, quod verius, ut Molinistis, qui hujus Græci Patris auctoritate ad eludendas S. Augustini doctrinas passim abusi sunt, ob oculos poneret, hunc S. Doctorem eorum opinionibus non usquequaque propitium esse: Quamprimum hoc opus Parisiis publicam lucem aspexerat, mox ab Anonymo publicis typis prodiit scriptum quoddam, in quo hæc Fontanæ versio apud Sorbonæ Doctores denuntiabatur, tanquam opus, in quo Auctor ejusque socii errores Nestorii innovare intenti, in pluribus locis a fide Catholica deviarint. Hoc opus pariter ad examen vocarunt Jesuitæ, illiusque Auctorem tanquam Nestorianum ac Jansenistam apud Harlæum Parisensem Archiepiscopum denuntiarunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

*Hode l. c.
Argentre
Coll. Jud.
t. 3. p. 386.*

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLV.

Fontanæ Palinodia.

*Argentrel.c.
Recueil Hist.
in Bibl. Sorb.*

Quamprimum Fontana inaudierat, suam versionem offensioni esse, hancque causam ad Parisiensem Archiepiscopum jamjam esse delatam, mox agnito errore palinodiam conscripsit, eamque typis editam Archiepiscopo exhibere constituit: Hanc in rem die quarta Septembris ad eundem literas suæ subjectionis ac pœnitentiæ testes dedit, quarum summa hæc est, „Fateor, me in mea versione ex mera „ignorantia, atque incuria in errores „incidisse, quibus præter mentem „meam sensum sancti Doctoris adulteratus, maxima fidei nostræ mysteria „labefactavi, hinc conscientiæ stimulis „urgeo, ut populi offensionem repararem, meamque orthodoxiam solemniter „palinodia vindicarem, hanc in rem „scriptum, in quo plenam submissionem „erga Ecclesiam testatus, duos errores „a vero S. Chryostomi sensu & a fide „Catholica devios pœnitens revocavi, „a me compositum Parisios transmisi, „publicis typis edendum, ac ultimo „tomo præfigendum: Prius autem me „obstrictum sentio, ut Archiepiscopo „meo, quem ut competentem Doctrinæ

„Judi-

„Judicem veneror, de fide mea ratio- Sæc. XVII.
 „nem reddam; eapropter eidem meam A. C. 1693.
 „revocationem scriptam, eamque chi-
 „rographo munitam transmitto, sup-
 „plex, ut ea, si bene visum fuerit,
 „statim unacum correctionibus adjun-
 „ctis prælo subjiciatur: si vero quid
 „ultra a me petatur, prompta cæcaque
 „obedientia Ecclesiæ satisfacere para-
 „tus sum. „

Huic epistolæ Fontana annexuit
 suam retractationem quinto præfigen-
 dam tomo, qui homilias in Epistolas
 ad Timotheum, Titum, Philemonem,
 & ad Hebræos complectebatur: Erat
 autem hujus tenoris.

„Accusor, quod Nestorii errores re-
 „novare intenderim, ac reipsa eos ad-
 „optarim; circa primum vero Deum
 „testor, quod nunquam aliam fidem,
 „quam Catholicam, Apostolico - Ro-
 „manam professus, nunquam in men-
 „tem mihi venerit, quovis pacto ejus pu-
 „ritatem offendere: non indignor, sed
 „potius me obstrictum profiteor illis,
 „qui versionis meæ errores detexerunt,
 „quia illos agnoscendi, ac solemniter
 „revocandi occasionem nactus sum,
 „vellemque, ut datam offensionem,
 „meumque reatum proprio sanguine
 „eludere possem: Ad secundum vero ac-
 „cusationis caput, declaro, me, cum
 „Theo-

Sæc. XVII., Theologus non sim, nec omne stu-
 A. C. 1693., dium, tempusque necessarium huic
 „versioni impenderim, præter mentem
 „meam ex mera inadvertentia in plu-
 „res incidisse errores, quos sincere de-
 „testor: fateor, quod ex inadvertentia,
 „meraque oscitantia a fidei Catho-
 „licæ veritatibus, veroque S. Doctoris
 „sensu in pag. 276. aberraverim hæc
 „verba eidem affingens: *Sanctus Paulus*
 „*hic varios hæreticos impugnat, Judæos,*
 „*quibus duas Personas in Christo, Deum*
 „*& Hominem demonstrat &c.*
 „*Marcellum, aliosque, quibus ostendit, quod*
 „*duæ Personæ, quæ sunt in Christo, per*
 „*seipsas subsistent, & inter se distinctæ sint.*
 „Erravi, nesciens difficultatem alle-
 „quendi hoc in loco mentem sancti Do-
 „ctoris: ignorabam, quod circa pri-
 „mum hunc locum & alterum, variæ
 „sint editiones, & variæ Interpretatio-
 „nes, & quod aliqui etiam hunc tex-
 „tum in pluribus editionibus deprava-
 „rint, cum aliqui hanc propositionem
 „juxta quamdam antiquam editionem
 „latinam, in qua hæc duntaxat verba
 „habentur: *Duas esse Personas, & unum*
 „*Deum*, intelligant de duabus primis
 „Personis Trinitatis, alii vero non mu-
 „tato textu duas Personas ad Patrem
 „& Filium, & Deum & Hominem ad
 „Christum referant, alii denique etiam
 „de

„de Christo has duas Personas expli- Sæc. XVII.
 „cent, cum tamen S. Doctor in primo A. C. 1693.
 „loco hoc verbum *Persona*, & in se-
 „cundo nomen *Hypostasis* & *Persona*
 „nonnisi in sensu proprio accipiat,
 „ita ut hæc duo verba *naturam* & *sub-*
 „stantiam significant, aliunde vero cer-
 „tum sit, quod ante Nestorii tempora
 „hæc duo verba: *Persona* & *Hypostasis*
 „apud S. Patres non ubique adeo exacte
 „inter se distincta, uti postmodum, re-
 „periantur: quod autem S. Doctor op-
 „pido alienus fuerit a Nestorii errore,
 „patet, quia quoties hoc nomen *Per-*
 „sona in sua propria significatione acci-
 „pit, unam duntaxat Personam in
 „Christo adstruat, & aperte neget, duas
 „in eo dari, ob crassam hanc igitur
 „meam ignorantiam, & temeritatem,
 „qua opus ultra vires meas aggressus
 „sum, utrumque S. Doctoris textum
 „magis intelligibilem reddendi studio
 „ad hæc verba: *in Christo*, addidi: *quæ*
 „*sunt in Christo*, quibus aperte dixi, quæ
 „tamen tali modo in S. Doctoris textu
 „non habentur, proin in margine ad
 „imitationem Frontonis Ducæi addere
 „debuissim notam ex Sixto Senensi in
 „hunc locum ad Hebræos: Ut ergo,
 „quantum possum hanc culpam eluerem,
 „utrumque textum corrigi, hæcque
 „verba: *quæ sunt in Christo* expungi no-
 „tam-

Sæc. XVII. tamque in margine apponi, iussi: Alii
 A. C. 1693. etiam meæ versionis loca, in quibus
 circa hoc argumentum me non satis
 clare expressi, immutari præcepi: de
 cetero autem protestor, me nunquam
 studio aut dedita opera vel a S. Doctoris
 sensu, vel Ecclesiæ doctrina aberrave-
 rim, nec ex destinato quædam loca sup-
 primere, vel eorum sensum corrumpere
 intenderim: sicut autem veritatis amor
 me ad errores meos condemnandos ob-
 stringit, ita etiam iustitia & charitas
 mihi præcipit, ut declarem, hosce er-
 rores mihi soli esse proprios, nec ulli
 alteri imputandos, eoquod amicorum
 nulli meum opus communicarim, &c.

§. XLVI.

*Altera ejusdem Auctoris epistola ad
 Parisiensem Archiepiscopum.*

Quoniam vero incio Fontana, pau-
 lopost nonnulli eum vindicare,
 aggrederentur, hancque in rem apo-
 logiam ederent, inde offensus Archie-
 præsul a Fontana petiit, ut solemni
 declaratione testaretur, hoc scriptum
 ex ejus calamo nullatenus fluxisse: legi-
 tur die duodecima Martii anni suble-
 quentis datis ad eundem literis decla-
 rabat, quod hæc apologia sibi penitus
 incognita esset, cunctisque renuntia-
 ret,

ret, quæ in sui defensionem ibidem Sæc. XVII.
 continerentur, de cetero autem, factæ A. C. 1693.
 suæ revocationi, & dolori, quo suos
 errores detestatus fuisset, firmiter in-
 sisteret, palamque faceret, quod circa
 alias quæstiones, ubi de possibilitate
 præceptorum, resistentia gratiæ, li-
 bertate hujus status, Divina voluntate
 salvandi omnes homines, de morte
 Christi pro salute omnium, de peccato ori-
 ginali, prædestinatione & reprobatione,
 nunquam ejusmodi errores in sua ver-
 sione adoptare intenderit: et si quid si-
 mile in sua versione repertum fuerit,
 id non data opera, sed ex incuria ir-
 repserit, non autem aliter circa hos ar-
 ticulos sentiat, quam Ecclesia Catho-
 lica sentit: omiserit quidem aliqua S.
 Doctoris loca, sed ideo, quia literalem
 versionem edere non intenderit.

§. XLVII.

*Controversia inter Mechliniensem Ar-
 chiepiscopum & Lovanienses Docto-
 res coram Pontifice agitata.*

Jam ab anno hujus sæculi sexagesimo
 Facultas Theologica Lovaniensis,
 ne in Belgio Catholico Jansenii do-
 ctrina latius serperet, Alexandri VII.
 Pontificis formulam opposuit, cunctis-
 que præcepit, ut interposita juramenti
 reli-

Sæc. XVII. religione profiterentur, se ore & corde
A. C. 1693. doctrinas quinque propositionum Jansenii
 per Innocentii X. & Alexandri VII. Pontificum Constitutiones proscriptas damnare, iisdemque Constitutionibus religiosam observantiam præstare: Cum autem instigante Quesnello, Arnaldo, eorumque sociis nonnulli Belgæ Theologi usitata distinctione inter quæstionem juris & facti necnon obsequioso silentio hoc juramentum ac formulam eluderent, hinc ineunte anno hujus sæculi nonagesimo secundo Humbertus de Precipiano Mechliniensis Archiepiscopus formulam Alexandri VII. integram præscripsit, seu ut omnes non modo jurarent, quod obsequiose reciperent Pontificum Constitutiones, sed etiam jurarent *veritatem* circa ea, quæ in illis continentur quoad quæstionem facti, id est damnarent *has quinque propositiones tanquam ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus: Augustinus extractas, & in sensu ab eodem Authore intento in ejusque libro expresso*: Insuper Belgii Præsules unanimi consensu decreverunt, ut ad integram hanc Alexandri VII. formulam omnium illorum probaretur fides, qui vel ad Ordines, vel ad Beneficia, vel ad sacratiora Confessariorum, & Concionatorum munia a se essent promovendi. Verum huic additioni ab Archiepiscopo

episcopo factæ nonnulli Lovaniensis Sæc. XVII.
 Universitatis Doctores sese acriter op- A. C. 1693.
 posuere: unde jurgiis indies excrescen-
 tibus tota hæc caussa, ex Hispani Re-
 gis mandato, & Ordinum Brabantino-
 rum consilio, necnon contendentium
 partium consensu Romam delata est,
 atque in Congregatione sancti Officii
 agitata: Ibidem Mechlinensis Archi-
 episcopi partes tuebatur Pater Bernar-
 dus Desirandt ex Ord. S. Augustini,
 Universitatis autem caussam in se susce-
 perat, Joannes Libertus Hennebel Theo-
 logiæ Doctor, quem quidam Universitatis
 Doctores die septima Maij Romam decre-
 verant. Hæc contentio integrum tenuit
 annum, & Archiepiscopi Legatus totus
 in eo erat, ut formulæ explicationem,
 additionemque urgeret, ac demonstra-
 ret, eam nil aliud continere, nisi quod
 in Alexandri VII. formula continere-
 tur: E contrario autem Hennebelus
 porrecto libello supplici a Papa petiit,
 ut Academiis Lovaniensi & Duacensi
 doctrinam de gratia per seipsam efficaci
 & de prædestinatione gratuita ante præ-
 visa merita tradere liceat, simulque Pon-
 tifex novam Archiepiscopi additionem
 rejicere vellet. Hanc in rem Lovani-
 ensis Universitatis mentem fidemque
 pluribus scriptis testatam reddidit, ac
 præprimis a S. Congregationis Cardi-
 nali-

Sæc. XVII. A. C. 1693
 petiit, ut doctrinam in suo scri-
 pto contentam examinarent, ac postea
 Sacra Sedes suum desuper iudicium
 ferret. Erat autem hujus scripti te-
 nor sequens.

„Joannes Libertus Hennebel Aca-
 „demix Lovaniensis Doctor, ab eaque
 „designatus ad reddendam Sanctissimo
 „D. N. Innocentio PP. XII. sive huic
 „Sacrx Congregationi rationem fidel
 „ac Doctrinx, tam suæ, quam alio-
 „rum plurimorum Theologorum, &
 „Ecclesiasticorum, Cleri Belgici, tum
 „sæcularis, tum regularis; ut suprema
 „S. Sedis autoritate sedentur diffidia,
 „& contentiones, quibus non solum
 „ipsa Universitas Lovaniensis, sed &
 „totum pene Belgium agitur, se sistit
 „humillime Eminentiss. Vestris, nihil
 „aliud optans, suppliciterque exoptu-
 „lans, quam, ut examinata, quæ hic
 „ab eo exponitur, Doctrina, dijudicet
 „S. Sedes, an contineat vel unum a-
 „picem fidei Orthodoxæ contrarium,
 „aut aliquid ab Ecclesia & Apostolica
 „sede explicite, vel implicite damna-
 „tum, rejecturus obedienter, si quid
 „ipsa rejecerit, & amplexurus humi-
 „liter, quodcumque ipsa statuerit.”

„Quoniam vero Eminentissimi Do-
 „mini, potissimam accusationem ad-
 „versarii generalibus, ut plurimum,
 „verbis

„verbis sub invidioso Jansenismi nomi-
 „ne instituunt, volentes hac arte, sine
 „onere probandi, notam hæresis inu-
 „rere Viris maxime Catholicis; pri-
 „mum profitetur Orator, & protestatur
 „coram Deo, tam suo, quam aliorum,
 „ut supra nomine, se semper damnasse,
 „& usque modo damnare, quinque pro-
 „positiones Jansenianas sine restrictione,
 „& Constitutionibus SS. PP. Innocen-
 „tii X. & Alexandri VII. religiosam per
 „omnia observantiam præstitisse, ac
 „etiamnum præstare.,

Sæc. XVII.
 A. C. 1693.

„Declarat insuper speciatim Orator,
 „suo & aliorum, de quibus supra no-
 „mine, se circa prædictarum quinque
 „propositionum materiam, subscribere
 „expositioni quinque Articulorum jam
 „ab Anno 1663. ad sedem Apostolicam
 „transmissæ, iterumque paucis abhinc
 „annis eidem S. Sedi oblatæ, idque
 „eodem modo, quo celeberrimi quique
 „Thomistæ eam expositionem proba-
 „runt, ac etiamnum probant.,

„Quæ quidem doctrina quinque il-
 „lis articulis explicata, nihil contra-
 „rium continet, sed potius plane con-
 „formis est doctrinæ, quam exhibent
 „Censuræ duarum facultatum Lov-
 „niensis & Duacensis præterito sæculo
 „editæ, cum adjuncta eis justificatione.
 „In his enim jam olim expressa est Ora-

K 2

„toris,

Sæc. XVII., „toris, aliorumque, præsertim Lovaniensis Facultatis, Theologorum de
 A. C. 1693. „Auxiliis divinis, & gratia Salvatoris
 „sententia, quam, utpote a majoribus
 „acceptam, usque in hunc diem, &
 „non aliam, retinent ac profitentur,
 „ob id maxime, quod semper ab iis
 „creditum sit, atque etiamnum credatur,
 „hanc esse genuinam S. Augustini,
 „aliorumque Sanctorum contra Pelagianos, & Semi - Pelagianos gratiæ
 „defensorum, itemque Divi Thomæ
 „doctrinam, sæpius quidem, præsertim a recentioribus, reprehensam &
 „impugnatam, sed semper in Ecclesia
 „defensam, & potissimum ab Apostolica sede in tuto collocatam.,

„Quamvis autem anno millesimo
 „sexcentesimo septuagesimo nono Facultas Theologica Lovaniensis hanc
 „ipsam prædictarum Censurarum & Justificationis doctrinam per speciales
 „deputatos sedi Apostolicæ examinandam obtulerit, eamque hæc Sacra
 „Congregatio post maturum examen
 „censuerit errore vacuum, & ab omni
 „Censura immunem, uti iisdem deputatis ab eo, qui tunc in eadem sacra
 „Congregatione Assessoris munere fungebatur, significatum fuit: attamen
 „adversarii passim pergunt eam ipsam
 „doctrinam atro Bajanismi, Jansenismi,
 „mi,

„mi, imo & Calvinismi calculo notare, Sæc. XVII.
 „ejusque defensores palam, tum ver- A. C. 1693.
 „bis, tum scriptis, tanquam hæreticos
 „& novatores traducere, uti patet ex
 „pluribus thesibus, variisque Libris,
 „quorum nonnulli ad hoc Sacrum Tri-
 „bunal delati sunt.,

„Quapropter, Eminentissimi Do-
 „mini, Orator humiliter supplicat Emi-
 „nentiis Vestris, ut de expositione quin-
 „que Articulorum, toties jam Aposto-
 „licæ sedi oblata, judicium suum pro-
 „ferre dignentur. Jam vero, ut ali-
 „quo publico testimonio significent,
 „quid jam olim de prædictis duabus Cen-
 „suris, & adjuncta eis justificatione
 „Sacra Congregatio censuerit, quo ii
 „compescantur, qui illas tanquam mi-
 „nus orthodoxas, aut etiam hæreti-
 „cas accusare non cessant. Sic enim
 „futurum sperat, ut omnes intelligant,
 „an revera doctrina, quam suo, alio-
 „rumque nomine supra exposuit, sit
 „dicenda hæretica, aut in Jansenio
 „damnata; an illam tenentes & do-
 „centes sint dicendi rebelles sedi Apo-
 „stolicæ, & Pontificiarum Constitutio-
 „num contemptores, an propter illam
 „arcendi a Cathedris in Universitatibus,
 „a præbendis & dignitatibus in Capi-
 „tulis, an denique repellendi a Sacris
 „ordinibus, muniisque Ecclesiasticis,

K 3

„nec

Sæc. XVII „nec approbandi ad Confessiones audien-
 A.C. 1693, „das, ut pars adversa contendit.,

„De hoc supplicat Orator, ut decer-
 „nat Apostolica Sedes, paratus judi-
 „cio ac Censuræ illius in omnibus se
 „subjicere, si quid in proposita doctrina
 „reprehendendum, aut corrigendum
 „duxerit. Unum rogat humillime, ut
 „nimirum, si eandem doctrinam sanam
 „esse judicaverit, & incontaminatam,
 „nulliusque erroris suspectam, hoc ipsum
 „orbi Christiano notum facere digne-
 „tur, imposito adversariis silentio, &
 „addita sub gravibus pœnis prohibitio-
 „ne, qua interdicator, ne quis eam
 „imposterum verbo aut scripto profin-
 „dere, vel ejus Defensores invidiosis
 „nominibus, seu calumniosis accusa-
 „tionibus, aliisque vexationibus exagi-
 „tare attentet. Hoc enim, Eminen-
 „tissimi Domini, videtur efficacius, &
 „forte unicum superesse remedium ad
 „sedandas graves illas dissensiones, qui-
 „bus Belgium jam diu miserandum in
 „modum discinditur, & ad stabilien-
 „dam inter Theologos pacem & Con-
 „cordiam, quod tantopere Vestras Emi-
 „nentias optare omnes norunt. Quas
 „Deus in bonum Ecclesiæ servet inco-
 „lumes.,

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. XLVIII.

*Alius Hennebeli libellus ad eandem
Congregationem.*

Paulopost idem Doctor rursus sacri
Officii Congregationis Cardinales
rogabat, ut sibi suam suorumque men-
tem circa motam controversiam decla-
rare liceat, qua approbata aut suum
judicium desuper ferant, aut saltem
interim juxta pacem a Clemente IX.
Gallis datam censurandi licentiam in-
hibere velint: hanc in rem hunc eis ob-
tulit libellum.

„Joannes Libertus Hennebel &c.
„Eminentis vestris ea, qua par est,
„reverentia exhibet annexam hic de-
„clarationem, qua se aliosque, quo-
„rum partes agit, Alexandri formulam
„sincere, & juxta Sedis Apostolicæ
„mentem subscribere paratos esse pro-
„fitetur, humiliter orans, ut si nihil in
„ea, nisi sanum, Orthodoxum, Sedis-
„que Apostolicæ menti conforme inve-
„niant, id publico & idoneo testimo-
„nio palam omnibus facere non de-
„dignenter.„

„Sin vero ob rationes Oratori non
„cognitas, Eminentis Vestris suum de
„hac declaratione judicium jam nunc
„publicare non placeat; in hoc casu

K 4

„sup-

Sæc. XVII. „supplicat Orator, ut ad impediendas
 A.C. 1693. „contentiones, & vitanda scandala to-
 „tam hanc de sensu formularis Contro-
 „versiam sibi reservare velint, sub gra-
 „vibus pœnis inhibendo, ne quis im-
 „posterum super hac controversia pu-
 „blice disputare, aut aliquid in lucem
 „edere præsumat, sed quilibet sensa
 „sua, quæ ad hujusmodi causæ de-
 „cisionem conferre posse existimavit,
 „chartæ mandata Romam transmittat:
 „ac donec Apostolica Sedes suum ju-
 „dicium protulerit, aut aliud quidpiam
 „ea de re decernendum judicaverit,
 „nemo quacunq; dignitate, vel au-
 „thoritate præditus attentet hac de
 „caussa Oratorem, aliosque omnes,
 „quorum nomine agit, tanquam hæ-
 „reticos, aut de hæresi suspectos, vel
 „adversus Constitutiones Pontificias
 „contumaces damnare, vexare, & a
 „muniis Ecclesiasticis excludere, ut-
 „pote, qui Romanæ Ecclesiæ omnium
 „Ecclesiarum Matri & Magistræ tanta
 „humilitate, & submissione sensum
 „suum exposuerint, nec aliud magis
 „optent, quam ab eadem sancta sede
 „doceri, num sit aliquid in hac eorum
 „declaratione, vel fidei Catholicæ, vel
 „perfectæ erga Apostolicas Constitutio-
 „nes Obedientiæ contrarium, quas
 „Deus &c.,

Vicissim

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Vicissim vero Pater Desirandt quam plurimos Belgii Doctores, aliosque Romæ de Janfenismo accusabat, ejusque fautores toti in eo erant, ut Hennebeli sinceritatem suspectam redderent, quo comperto ipse die vigesima sexta Octobris novam mentis suæ declarationem Romæ Cardinalium Congregationi porrexit, hujus tenoris:

„Cum spargi audiam tum in Belgio, tum hic apud sanctam Sedem, me paratum quidem esse formulam Alexandri VII. Pont. Max. subscribere, sed subdole & fallaciter, nec mihi aliud in animo esse, quam hac subscriptione Belgii Episcopis, sedi Apostolicæ, totique Ecclesiæ illudere: Ego infra scriptus calumniæ tam atroci obviare, famæ meæ consulere, & gravissima, quæ ex rumoribus ejusmodi merito timenda sunt scandala prævenire satagens, præsentis scripto declaro, quod prædictam formulam subscribere paratus sim, non subdole, non fallaciter, sed prorsus sincere, atque ad mentem Sedis Apostolicæ, prout decet genuinum filium, & creatorum S. Sedis religiosissimum cultorem. „

„Ut autem sinceritas mea magis pateat, mihi que nemo deinceps opponat, quod aliud ore proferam, a-

K 5

„liud

Sæc. XVII. „liud mente restringam (quamquam
 A.C. 1693 „scripta, quæ hæcenus in hoc negotio
 „obtuli, hanc calumniam fatis revin-
 „cant) coram Sanctissimo Domino no-
 „stro Innocentio Papa XII. & Sacra
 „Congregatione sancti Officii apertissi-
 „me profiteor, me damnare absque
 „ulla exceptione, aut restrictione quin-
 „que Propositiones a summis Pontifi-
 „cibus Innocentio X. & Alexandro VII.
 „damnatas, omnesque sensus, in qui-
 „bus damnatæ fuerunt, meque alienum
 „prorsus esse a defendendis prædictis
 „quinque Propositionibus, singulisque
 „erroribus, quas in eis Apostolica Se-
 „des, totaque Ecclesia damnavit „
 „Declaro insuper certum prorsus
 „(sub humili correctione) mihi videri,
 „quod Sedes Apostolica nunquam fide
 „tenendum definierit, nec proinde un-
 „quam fidelibus necessitatem exposue-
 „rit credendi, ac jurandi, quinque il-
 „las Propositiones ex Libro Cornelii
 „Jansenii Yprensis Episcopi, cui titu-
 „lus *Augustinus*, excerptas esse, iisque
 „contineri sensum in prædicto Jansenii
 „Libro expressum. Quamquam lubens
 „agnoscam, hanc fuisse Sedis Aposto-
 „licæ mentem, ut vetaret, prohibe-
 „retque, ne quis postea Librum Jan-
 „senii adversus latam a Pontificibus
 „censuram defendat, & dicto, scriptove
 „asse-

„asserere audeat, quod quinque propo-
 „sitiones ex prædicto Libro non sint
 „excerptæ, vel quod non contineant
 „sensum in eodem Libro expressum:
 „quam Sedis Apostolicæ ordinationem
 „me, per Dei gratiam, inviolabiliter
 „observaturum, daturumque operam,
 „ut pari reverentia ab aliis observetur,
 „coram Apostolica sede sancte pro-
 „fiteor. „

Sæc. XVII.
 A. C. 1693.

„Quem quidem formulæ Alexan-
 „dri VII. ac Sedis Apostolicæ eam præ-
 „scribentis, verum ac genuinum sensum
 „esse, eo magis adducor, ut credam,
 „quod alias discedendum omnino esset
 „a receptissima Cardinalium Baronii,
 „Bellarmini, Pallavicini, aliorumque
 „celeberrimorum Theologorum, ac Se-
 „dis Apostolicæ defensorum sententia. „

„Quid? quod & hunc ejusdem for-
 „mulæ sensum probari videam omnibus
 „pene Theologis, aliisque Viris doctis,
 „quos mihi ab uno fere anno in urbe
 „commoranti convenire, & ea de re
 „sensum suum palam & aperte signifi-
 „cantes audire sæpe licuit. „

„En claram, ac dilucidam de sub-
 „scribenda, ac juranda Alexandri VII.
 „formula sensus mei declarationem,
 „quam facio non tantum nomine meo,
 „sed etiam nomine omnium, quorum
 „in hac causa partes ago, eam sanctis-
 „simi

Sæc. XVII. „sini Domini nostri, & Apostolicæ Se-
A. C. 1693. „dis iudicio humillime subjiciens, pa-
 „ratus addere, demere, exponere, ex-
 „pungere, quidquid S. Sedes adden-
 „dum, demendum, exponendum, ex-
 „pungendumve censuerit. „

Postea factis in Epistolam Patris
 Desirandt variis annotationibus Henne-
 belus denuo die decima quarta No-
 vembris suæ mentis declarationem con-
 firmavit his verbis: „Quod ad me at-
 „tinet, aperte Declaro. I. Persuasum
 „mihi esse, quod sensus Formularii,
 „quem in Processibus suis verbalibus
 „exposuerunt quatuor Episcopi, quam-
 „que ego secutus sum in declaratione
 „exhibita S. Congregationi sancti Officii
 „die 26. Octobris 1693. proxime elapsi,
 „sit sensus ejus verus, & legitimus, ac
 „Sedis Apostolicæ menti per omnia
 „conformis. „

„Declaro II. persuasum mihi esse,
 „quod quatuor illi Episcopi juxta sen-
 „sum, illum subscribentes formulario
 „Alexandri VII. rite, legitime, & sin-
 „cere subscripserint. „

„Declaro III. juxta sensum dictorum
 „Episcoporum subscripturos prompti-
 „sime omnes, quos hactenus de Jan-
 „senismo accusavit P. Desirandt. „

§. XLIX.

*Belgradum a Cæsareis incassum
tentatum.*Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Turcis in superiore Hungaria præter
Giulam & Jenæam nil reliquum e-
rat; postremam ergo hanc urbem in-
superhabitis difficultatibus vix superan-
dis impiger Heisterus Cæsareus Belli-
dux oppugnare statuit; nec generoso
ausui prosper defuit successus: Turcæ
enim assidua verberatione territi, vi-
tam, libertatem, sarcinasque pacti de-
ditionem fecere, relictis duodequadra-
ginta belli tormentis. Nihilominus
Cæsar urgente Guilielmo dicto Angliæ
Rege cum Turcis de pace agere con-
stituit, ejus autem Legatis indigne
habitis Imperator Eugenio Croyo, cui
in Hungaria post Badensis discessum
Cæsarei exercitus imperium fuit com-
missum, in mandatis dedit, ut Belgra-
dum expugnare niteretur. Hic igitur
impigre trajecto Savo Turcas ex Zin-
garorum insula dejecit, qua potitus ob-
sidionales accessus ad urbem propius
duxit. Erumpunt inopino furore ob-
selli, atque inexpertos fossores tanto
terrore implent, ut indecore abjectis
armis aufugerent: mox tamen Turcas
Cæsarei non sine clade in urbem re-
pellunt:

Wagner
Hist. Leop.
lib. 12.
Briet. An-
nal. cont.

Sæc. XVII. pellunt: Aliquamdiu Croyus urbem
 A. C. 1693. & Turcas arte, omnique conatu fati-
 gabat, cum autem navës, quibus an-
 nona, ac bellicæ munitiones advehe-
 rentur, tardius adventarent, tentata
 improspere irruptione nocturna, & in-
 valescente morborum vi de expugna-
 tione conclamatum videbatur: Insuper
 ad tot malorum cumulum accessit Stra-
 teghi Christiani defectio, qui in urbem
 dilapsus, Barbaros consiliis & machi-
 nis egregie juvabat, quocirca Croyus
 die decima Septembris obsidionem sol-
 vit: Ita demum tota hujus anni expe-
 ditio ob pecuniarum inopiam & infe-
 stas Ductorum cunctationes corrupta est.

§. L.

*Varice urbes a Gallis captæ & de-
vastatæ.*

Theatr. Eu-
rop. t. 14.
Gottfrid.
Hist. Chron.
cont. l. 12.
p. 449.
Wagner l. c.
Burnet t. 4.
pag. 224.

Ineunte hoc anno Galli rei summam
 in celeritate ponentes, ex hibernis
 stativis mature processerunt, ac relicta
 Rhinfeldensi obsidione in Flandriæ in-
 teriora penetrare conati sunt. Præ-
 primis Bufflerius, ut hostem falleret,
 Huy muniti oppidi obsidionem simulat,
 mox tamen inflexo itinere Furnas die
 tertio Januarii contendit, hanc urbem
 expugnaturus, simulque Anglos, qui
 in Normanix oram exscensuri, ibidem
 substi-

substiterant, intercepturus: Altero e-
 tiam obsidionis die Hornius Guberna-
 tor præcipiti nimis consilio urbem Gal-
 lis cessit; quo comperto Diximudæ
 Præfectus sub debitoris defensionis ob-
 tentu hanc quoque civitatem dereli-
 quit; unde Galli utramque urbem mu-
 ris nudarunt, atque incolis Dunker-
 kam raptatis, Anglos præsidarios jure
 belli captos detinuerunt. Sub idem
 ferme tempus centum aliquot perditæ
 vitæ homines detegebantur, qui ad
 spargenda ubique incendia a Gallis e-
 missi fuerant, eo fine, ut incolis ubi-
 que dispersis, eo liberius per Wirtember-
 gensem Ducatum ad Danubii littus pe-
 netrare, sparsoque in Hungariam ru-
 more Turcas ad Austriæ invasionem
 pellicere valerent: Interim Melacus
 celebris ille incendiorum opifex totum
 qua late patet agrum Heidelbergem
 & obvia quæque strage, sanguine,
 flamma & vastitate miscebat: Lorgius
 vero Heiderstorffium Governatorem ad
 ultroneam deditionem provocans, ulti-
 mum excidium minitabatur, si vel mi-
 nimum resistere auderet: Hisce minis
 Governator oppido ignavus cessisset,
 nisi a Tribunis proditionis calumniam
 eidem ingerentibus absterritus fuisset:
 væcors tamen hic homo nec imperia
 dare, nec periculis obviare, aut stationes
 nes

Sæc. XVII.
 A. C. 1693.

Sæc. XVII. nes distribuere præ artuum trepidatio-
 A. C. 1693. ne potuerat, quinimo ipsam Urbis por-
 tam hosti obviam obserrare vetuit, quo
 animadverso Galli in suburbia pene-
 trant, atque obsessos incautius erum-
 pentes repellunt, simulque mixti cum
 illis magno numero in urbem involant:
 Profugunt obsessi turmatim in arcem,
 & quibus ad fugam celeritas defuit,
 (nam in tumultu festinatio quoque tar-
 da est) abjectis armis vitam nonnisi preca-
 rio obtinent. Jam urbem victores Galli
 ubique implent, atque e civibus non
 paucos ferro, alios fustibus enecant,
 quosdam cunctis suis vestibus spoliant,
 in fæminas promiscue, & sine nobilio-
 rum formarum delectu, impetum faci-
 ciunt, omnique Christiani pudoris velo
 seposito miseras publice omni libidinis
 genere divexant, reliquos e suis ædi-
 bus raptatos, vel in plateis obvios,
 pueros & mulieres funibus inter se ne-
 xas in Templum S. Spiritus velut pe-
 cudes agunt, horrendumque in modum,
 ululantes non ante emittunt, quam supre-
 ma Ecclesiæ tecta circumquaque claris
 flammis concreparent, & campanæ li-
 quatæ diffluerent, turrisque ruina proxi-
 ma esset. Supererat arx, de cujus
 deditioe Gubernator pacisci petens,
 rejectus est, rudi hoc responso, bene-
 ficii loco habendam esse vitæ veniam,
 &

& corporis captivitatem, sedato tamen Sæc. XVII.
 primo furore convenit, ut præfidiarii A. C. 1693.
 solito honore, binisque cum tormentis
 die vigesima tertia Martii excede-
 rent. Tum ultimum Urbis excidium
 maturatum est: Cives, qui ad PP. Ca-
 puccinorum monasterium confugerant,
 concatenati trans Rhenum deportan-
 tur, obstruuntur murorum ruinis pu-
 tei, Electoralis Palatii ac Templorum
 fornices dolabris confringuntur, &
 quod natura horret, ac reverentia e-
 tiam barbaris prohibet, militis avari-
 tiâ nondum vivorum divitiis expleta,
 Principum mortuorum sepulcra diffrin-
 guntur, ruptisque sarcophagis a cada-
 veribus sepultæ gazæ abstrahuntur, offi-
 bus in publicam plateam projectis:
 demum in reliquas domus, quas non-
 dum incenderant, faces inferebantur;
 incolæ quidem efferati militis furorem,
 si qua intermoreretur ignis, effugere
 tentabant, sed qua flamma dederat
 locum, obstabat hostis gladius: Varia
 igitur cæde consumpti fuere ferme om-
 nes, totaque adeo celebris Urbs cum
 suis suburbiis in flebile bustum resedit,
 a fundamentis revulsa, extremo cujus
 excidio demum Gallorum iræ ac vin-
 dictæ parentatum est: Parisiis decan-
 tato Hymno Ambrosiano in gratiarum
 actionem pro re tam prospere gesta pu-
 blica

Hist. Eccles. Tom. LXVI,

L blica

Sæc. XVII. blica decreta est supplicatio, nummus-
 A. C. 1693. que proculus cum hac epigraphe: *Rex*
dixit, & factum est: Id vero, ut de
 Rege Christianissimo assererem, nun-
 quam adducar, adducar tamen, ut su-
 spicer, nec omnia de ejus vitiis vera,
 nec omnia falso referri, multaque in
 ejus Ministros rejici. Eversa hac urbe
 Lorgius velut ignea tempestas in Darm-
 stadiensem & Wirtenbergensem Duca-
 tus sese effudit, a Badensi tamen Mar-
 chione, qui non ita pridem fœderati
 exercitus imperium in se susceperat,
 trans Rhenum repulsus. Nec tamen
 Angliæ, Batavæque vires Gallico Marti
 pares erant, quippe eorum classis, dum
 in Ægæum mare procurtura Hercu-
 leum Fretum pertransire tentat, die
 trigesima Junii a Torvillio Gallorum
 Archithalasso impetita, cruento prælio
 triduum tenente, dispersa est, multis
 navigiis, quorum ducenta erant,
 captis vel incensis, ac reliquis in Hispani-
 næ portus dissipatis.

Erant quoque Galli in Belgio vi-
 ctiores; postquam enim Guilielmus,
 dictus Angliæ Rex Leodio aliisque vi-
 cinis urbibus servandis a suo exercitu
 copias submitteret, his debilitatis Lu-
 cemburgicus Dux Franciæ Marecallus
 post captum Caroloregium eundem die
 vigesima nona Julii prope Tirlimon-
 tium

tium Brabantiae oppidum inopino impetu aggressus est: Res brevi ad pugnae necessitatem devenit, & postquam diu vario Marte pugnatum erat, tandem Galli sibi victoriam vendicarunt, eo quod foederatorum tormentis ac vexillis potiti, praelii aciem retinuisent: de cetero autem victores victis vix non aequa clade pares fuere, ac multo plures & longe magis conspicuos Duces e Gallis, luctuosa ancipitis gloriae victima, cecidere. Pari ferme victoria Galli inclaruere in Sabaudia; quamvis enim foederati vastata Perusina valle, S Birgittae arcem expugnassent, incassum tamen tentato Pinarolio, Catinatus Franciae Marescallus eos infecutus, die quarta Octobris ad Marsagliam sive Orbasanam praelium conseruit, in quo Eugenius Sabaudiae Princeps, qui aciei medium duxerat, rara fortitudinis prodigia edidit, Gallis tamen palmam ita cedere coactus est, ut eis haec victoria ferme septem extra aciem occisorum millibus constaret: Ex foederatis praeter amissa aliquot tormenta desiderati sunt quinquies mille quingenti, partim trucidati, partim faucii aut capti. Parta hac victoria Galli loca quaedam Taurino vicina incendunt, a Cunei tamen obsidione rursus tentata, re infecta ultra montes re-

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Sæc. XVII. meare compulsi sunt. His victoriis
 A. C. 1693. Galli adeo debilitati fuere, ut summo
 Pontifice, & Suecorum Rege urgentibus, Ludovicus ad pacem foederatis
 offerendam proniorem sese exhiberet, ac per suum Legatum Comitem de
 Avaux in Aula Holmiensi, & per Bonrepositum in Aula Danica novas pacis
 condiciones proponeret, quo minus tamen eæ acceptarentur, illarum iniquitas
 effecit: petiit enim Rex, ut armistitio in pacem perpetuam verso ipse
 restitutus Friburgo & Philipopoli Argentoratum retineret, & munimenta
 fortaliti Ludoviciani, Montis Regii, Trarbaci, & Henningæ destruerentur.

§. LI.

Flavii Chisii Cardinalis obitus.

*Palat. fast.
 Card. t. 4.
 Cornar. re-
 lat. de la
 Cour de
 Rom. Eggs
 Purp. dott.
 p. 491. l. 6.
 Old. in add.
 ad Ciacon.*

Ad hunc annum refertur obitus Flavii
 Chisii Cardinalis patria Senensis.
 Hic Alexandri VII. Pontificis ex Fratre
 Nepos a suis Parentibus disciplina opti-
 mæ suæ indoli congrua institutus, a
 Patruo suo Cardinale Chisio tum Nun-
 tio Apostolico in Germaniam ablegato
 Coloniam venire jussus est, ut in con-
 ciliandis Christianorum Principum ani-
 mis suam eidem opem jungeret. Hujus
 itineris opportunitate Flavius suum in-
 genium excolere haud oblitus, diver-
 sarum

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

farum gentium linguas, mores & ritus
cognoscere sedulo intentus erat, ani-
mumque suum ad magnas curas &
ardua negotia adornare satagebat:
Inde Senas reversus tam Philosophiæ,
quam Jurisprudentiæ scientiis impigram
navabat operam, suæ quondam Patriæ
plurimum profuturus. Postquam vero
ejusdem Patruus sub nomine Alexan-
dri VII. Pontificia Thiara exornatus
fuerat, Flavius ab eodem Romam
accerditus, mutato connubii consilio
sacræ militiæ nomen dedit: cumque
morum comitate, ac consortio, sermo-
nisque amoenitate cunctis percharus
esset, ab eodem Pontifice Romanam
emeruit Purpuram, quam tamen haud
otiose gesserat; variis enim Ecclesiæ
negotiis, efformandis literis Apostoli-
cis, regendæ Firmanæ ac Tiburtinæ
præfecturæ, & Legationi Avenionensi
adhibebatur, in quibus omnibus offi-
ciis cum singulari ingenii, providentiæ,
atque integritatis laude, raram fidem,
industriamque conjunxit. Exorto au-
tem ob Corsorum rixam dissidio Lega-
tus a Latere in Franciam ablegatus,
Ludovicum Regem summopere offen-
sum mira dexteritate placabat; inde
Romam redux, Præfecturam Justitiæ
obtinet, ac Basilicæ Lateranensis Ar-
chipresbyteratu decoratus, Biblio-
thecæ

Sæc. XVII. thecæ Vaticanæ curam in se suscepit:
 A. C. 1693. unde manifestæ calumniæ arguuntur
 illi, qui hunc Cardinalem velut laboris impatientem, ac nonnisi voluptatibus, & sequioris sexus amoribus implicitum traducere ausi sunt, ac primum postremis moralitatis suæ annis præteritæ vitæ noxas seria poenitentia eluisse, scripserunt.

§. LII.

*Francisci Mariæ Laurentii Brancati
 de Lauria Cardinalis extrema.*

*Toppi Btbl.
 Neap.
 Palat. tom. 5.
 Card.
 Journal des
 Scavans
 pag. 23.*

Hunc morte sequebatur Franciscus Laurentius Brancatus Lauria quodam Lucaniæ oppido die decima Aprilis, ex pauperibus, honestissimis tamen Parentibus natus. Hic cunctis virtutibus Christiano juvene dignis, ac omni politiori literatura imbutus, anno jam ætatis suæ decimo quinto Clericalem statum profiteri statuit, atque Ecclesiæ S. Jacobi adscriptus, & clericali tonsura insignitus, ibidem per biennium sacris functionibus cum summa laude functus est, omnibusque suis coæqualibus sapientia, humilitate ac exemplo præluxit: Postea apostemate lethali correptus, ac ope D. Francisci sanatus, Nojam contendit, Ordinem S. Francisci professurus, ad quem demum susceptus, mutato

mutato Baptismatis nomine, quod Joannis Francisci erat, Laurentius dictus est. Romam a Superioribus studiorum causa missus, ac Laurea decoratus, variis in locis Theologiam Sacrasque literas summo cum applausu tradidit, postea honorificis Ordinis sui officiis auctus, ab ipso Alexandro VII. S. Officii Consultor, & Vaticanæ Bibliothecæ Custos renunciatus est: Verum tot negotiorum moles nondum expleverat ingenii vastitatem, ac laboris desiderium, quo Laurentius flagrabat, quocirca ab eodem Pontifice datus est S. Inquisitionis, Sacrorum Rituum, Episcoporum & de propaganda fide Congregationibus, in quibus Laurentii consilia & sententiæ veluti norma Justitiæ ceteris exstiterunt: Tanti propterea ab Alexandro VII. habitus est, ut Flavio Cardinali Laurentium in Gallicæ Legationis Theologum expetenti responderet, *sibimet ejus operam adeo esse necessariam, ut ea carere non posset*: Inde vero pro more invidia augebatur Aulicorum, qui cum inculpatos Laurentii mores carpere non valerent, saltem, incassum licet, allatrare nitebantur. Tantopere enim ab omni fastu, ambitione, & lucri cupidine alienus erat, ut a Principum Ministris, qui eum ad suas partes pertrahere nitebantur, ob-

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

Sæc. XVII. latas dignitates, pensiones, & Episco-
 A. C. 1693. patus constanter rejiceret, asserens,
sibi potius esse, si fides sua constaret incor-
rupta. Mortuo Alexandro VII. Cle-
 mens IX. ejusdem Successor Laurentium eo in pretio ac honore habuit,
 ut eum proxime Cardinalem designan-
 dum crederent omnes; eodem autem
 Pontifice non multo post morte sublato
 Laurentius in Clemente X. amicum in-
 timum, planeque domesticum nactus
 est, ac diversis iterum muneribus au-
 ctus, meritorum quoque cumulum mi-
 rifice auxit: Convixit Monachus inter
 crebra virtutum exercitia ac literarios
 labores usque ad annum ætatis septua-
 gesimum, nec etiam ab Innocentio XI.
 Purpuram indutus laborem exuit, sed
 potius ad Dei gloriam, & Ecclesiæ uti-
 litatem duplicavit, ac pluribus Patrum
 cætibus aggregatus, calamum suum
 in convincendis hæreticis ac Novato-
 ribus egregie exercuit: Selegit eum
 quoque Innocentius XII. Pontifex in
 discutienda Mechliniensis Archiepiscopi
 causa, circa quam hoc suffragium tu-
 lisse fertur: *Pontifex non potest facta hu-*
mana non revelata definire hinc
Archiepiscopus ex hoc tantum excusandus
est, quod, ut ipse in sua formula asserit,
putavit Alexandrum definisse factum, eo
quod nominarit Jansenium, _ excerpationem
 pro-

*propositionum ex libro Jansenii, & sen- Sæc. XVII.
sum ejus: quæ omnia facta humana sunt A. C. 1693,
non revelata. Et ipse Archiepiscopus, sub
hac opinione, facta ista magis explicite op-
posuit in sua formula, juranda. . . . eo-
quod existimavit Alexandrum in Defini-
tione V. Propositionum comprehendisse e-
tiam factum.*

Utut de hoc sit, id certum est, quod Innocentius XII. pro explicanda sua Constitutione Laurentii voto usus sit, quamvis Jansenii Fautores illud perperam in rem suam vertant. Tandem vero doctissimus hic Cardinalis die vigesima Novembris lethali morbo correptus, die prima Decembris anno ætatis suæ octogesimo secundo pie in Domino obiit. Scripsit quatuor tomos de Sacramentis, totidem in quartum librum sententiarum, Epitomen Canonum Sacrorum, Concordiam Evangeliorum, tomos tres pro Magistris Inquisitionis, octo volumina pro S. Officio, plura & varia pro examine Episcoporum, octo opuscula de oratione, tria de Deo & gratia, & diatribam de usu Chocolatis, ubi hunc potum non violare jejunium contendit. Habentur hujus Authoris opuscula plura alia nondum typis vulgata. Edidit quoque libros Nicolai de Lyra, S. Augustini, & duodecim tomos Baronii.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. LIII.

Principum atque Illustrium obitus.

Gottfrid.
cont. Hist.
Chron. 1. 12.
pag. 454.

Hoc item anno die tertia Octobris non sine magno subditorum luctu vitæ suæ curriculo finem apoplexia ta-ctus imposuit Marquardus Sebastianus Schenk de Stauffenberg Bambergensis Episcopus, cui hac in Ecclesia successit die sexta Novembris Lotharius Franciscus de Schönborn. Decessit quoque anno ætatis sexagesimo septimo die quinta Aprilis Anna Maria Ludovica Joannis Baptistæ Aurelianensis Ducis Filia, quæ multis quidem desponsa, in-nupta tamen obiit. Hanc pari fato sequebatur die vigesima sexta Julii Ca-rol-Monti Udalrica Eleonora Suecicæ Regina Caroli XI. Conjux: Hujus anni autem principium sibi exitiale habuit Mahometes IV. Turcarum Imperator, qui anno hujus sæculi octogesimo septi-mo ob iteratas clades Muselmanis illa-tas folio dejectus, die quarta Januarii in carcere contabuit, periitque, cujus fatum eodem anno Mustapha ejus Fi-lius Constantinopoli subiit. Præterea obiere Philippus Guilielmus Augustus Electoris Palatini Filius, & Ernestus Hassiæ-Rheinfeldensis Landgravius die secunda Maij anno ætatis septuagesimo, qui

qui ejurata hæresi jam ante quadra- Sæc. XVII.
 ginta & unum annos publice fidem Ca- A. C. 1603.
 tholicam Colonæ cum Conjuge sua
 amplexatus erat. Denique vitam fi-
 niere Anna Magdalena Hannoviæ Co-
 mitissa, Leopoldina Eleonora Josepha
 Princeps Palatina, & Odoardus Par-
 mensis Ducis Filius primogenitus non-
 nisi viginti septem annos natus.

§. LIV.

*Diversæ Innocentii XII. Pontificis
 Constitutiones.*

Quoniam Papa Romanæ Urbis Ec- Bull. magu.
 clesias &c. visitare, ratum fixum- in Const.
 que habuerat, pluribus Constitutioni- Innoc. XII.
 bus Apostolicis facultates descripsit eo- Const. 29,
 rum, qui pro hac visitatione designandi & seqq.
 erant: cum autem non raro continge-
 ret, quod Cardinales Religiosorum Or-
 dinum Protectores concessam potesta-
 tem contra Constitutiones Ordinum ex-
 tenderent, Superiores & officiales suis
 officiis moverent, rebus disciplinam
 concernentibus sese ingererent, Reli-
 giosos loco amoverent &c. hinc Pon-
 tifex die decima sexta Februarii Pro-
 tectorum potestatem restrinxit. Appro-
 bavit etiam die quarta Aprilis decretum
 de cultu immemorabili Beatæ Joannæ
 Alphonfi V. Lusitaniæ Regis Filiæ ex
 Ord.

Sæc. XVII. Ord. S. Dominici. Die vero decima
A. C. 1693. quinta Maij præcepit, ut Officium &
 Missa de Conceptione B. V. immacu-
 lata cum octava ubique & ab omni-
 bus celebraretur, inde autem adhuc
 magis comprobatum erat, quod Anno
 1678. non illud Officium, quod ab anti-
 quissimo tempore in Ecclesia recitaba-
 tur, a S. Officio fuerit prohibitum, sed
 illud, quod Indulgentiam apogrypham
 continebat, & a Paulo V. approbatum
 fuisse dicebatur. Exemit insuper Pon-
 tifex die vigesima ejusdem Mensis Fra-
 tres Ordinis S. Joannis de Deo a sup-
 plicationibus publicis, ut eo liberius,
 magisque assidue ægrotis operam na-
 vare possent. Cum autem Cremonen-
 sis Prætor in urbe suoque districtu Fe-
 stum S. Dominici publico edicto solem-
 niter agi præciperet, Pontifex indigne
 ferens, quod Laici potestatem suam
 ad Ecclesiastica, atque ad instituenda
 festa extenderent, hinc die prima Se-
 ptembris omnia irrita declaravit. Rur-
 sus Papa, sicut ipsemet largitionibus
 ad favorem Nepotum faciendis modum
 imposuit; ita etiam in favorem con-
 sanguineorum Cardinalibus indultam
 testandi facultatem die decima quinta
 Octobris moderatus est. Inhibuit quo-
 que die quarta Decembris, ne Advoca-
 ti &c. sportulas accipiant. Ejus-
 modi

modi leges multi Pontifices antea tulerant, quin quorundam avaritiam temperare potuerint, nec unquam poterunt, nisi ex ærario Pontificio ejusmodi famelicis abunde provideant. Fervente autem bello inter Christianos Principes die octava ejusdem Mensis Innocentius Jubilæum universale pro pace obtinenda indixit. Denique attulit causas, ob quas extra tempora Ordines conferri possent, has inter numeravit præcipue, si Candidatus arctetur beneficio, si sit penuria Sacerdotum, si quis sit Canonicus, Theologiæ aut Juris Canonici Doctor, si triennio Theologiæ studuerit, aut vigesimum sextum ætatis annum jam impleverit, & denique ob solatium jam quinquagenarii Patris vel Matris &c. Plurima etiam decreta edidit Innocentius Papa de ejectis, atque ejiciendis, necnon de Apostatis, & fugitivis.

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

§. LV.

Plures Sacrarum Congregationum decisiones.

Ex decisionibus, quas Sacræ Romanæ Congregationes ad occurrentia du-
bia ediderunt, præcipuæ sunt sequen-
tes: Annuente summo Pontifice S. Ri-
tum Congregatio Venetis indulsit Of-
ficiū

*Decis. &
Const. SS.
Congr. Rit.
Concit. Episc.
&c.*

Sæc. XVII. A. C. 1693. ficium sub ritu duplicis minoris & Missam de Desponsatione B. V. habere, commemorationem autem de S. Josepho addere primum Clemens XI. Anno 1713. 1. Julii concessit Fratribus Minoribus. Declaratum quoque, Festum de septem doloribus B. V. impeditum transferendum esse in Sabbatum sequens non impeditum. Die autem vigesima septima Februarii exorta controversia inter Monachos Camaldulenses, & Vallumbrosanos Forolivienses decidit S. Episcoporum Congregatio, quod ubi viget consuetudo, quod Regulares in supplicationibus inter se præcedant ratione Originis & Institutionis Religionis, ea servanda sit: Legitum etiam decisum die decima quarta Aprilis a S. Congregatione Immunitatis, quod Confessarius nulliter absolvens censuratum ob violatam immunitatem Ecclesiasticam, suspendatur ab audiendis Confessionibus arbitrio Episcopi. Sacra vero Rituum Congregatio die undecima Julii FF. Capuccinis concessit pro die quarta Augusti Officium cum octava & Missam de S. Dominico: Proscripti etiam fuere a S. Indicis Congregatione die vigesima prima Aprilis & prima Julii duo hi Libri: *I. Liber de mente Concilii Tridentini circa contritionem, & attritionem in Sacramento*
pœni-

penitentiae auctore Joanne de Launoy. II. Saec. XVII.
Diatriba Theologica de peccato Philosophico A. C. 1693.
cum expositione decreti Inquisitionis Roma-
nae &c. Die autem quarta Septembris
 a S. Congregatione Rituum decisum
 est, quod Regularibus in processione
 deferentibus reliquias (non autem ce-
 teris) debeat praeferentia super Cle-
 rum saecularem.

§. LVI.

*Synodi Diocesanae Brugensis & Cæ-
senatensis Decreta.*

Præter Monasteriensem Synodum, in
 qua Fridericus Christianus Episco- *Concil.*
 pus Capellanos a Parochis sine ejus *Gerin. t. 10.*
 vel Archidiaconorum præscitu assumi *pag. 188.*
 vel dimitti vetuit, insuper Guilielmus
 Bassery Brugensis Episcopus die deci-
 ma sexta Junii Diæcesanam Synodum
 celebravit, in qua præter alia statutum,
 ne Parochiani Biblia in lingua verna-
 cula sine Episcopi vel ab eo Deputa-
 torum licentia legant, aut retineant.
 Præcipit etiam Confraternitates institui,
 & Reliquias procurari, ubi nullæ ad-
 sunt, vetuit quoque Parochis Synodus,
 ne sponsalia, etiam de consensu par-
 tium dirimant, sed causam ad Episco-
 pum referant. Sancitum insuper, ut
 nullus ad primam Communionem ad-
 mitta-

Sæc. XVII. mittatur, nisi ter quaterve prius confessus fuerit, & ita se ad Confessionem generalem disposuerit: Injunxit quoque Synodus Parochis, ut si Capellanos habent, diebus festis ante & sub eorum Missa, & vicissim sedeant pro confessionibus excipiendis, sicut & in festorum vigiliis, ut populus ad frequentanda Sacramenta alliciatur. Denique voluit, ut Custodes in Ecclesia fervientes semper toga talari, & superpelliceo induti sint. Præterea Cæsenatensis Episcopus hoc anno Synodum habuit, in qua laxiores opiniones eliminaturus damnavit sententiam eorum, qui asserere ausi sunt, nemini, quamvis prava consuetudine irretito, denegandam esse Sacramentalem absolutionem.

§. LVII.

*Quorundam Scriptorum religione
Catholicorum opera & obitus.*

*Du Pin
nouvell. Bibl.
tom. 18.
Cerf. Bibl.
des Auth.
de la Congr.
Mem. des
Hom. m.
Illustr. t. 2.
pag. 384.* **E**x Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno universale æternitatis iter ingressi sunt, suis lucubrationibus celebre sibi apud posteros nomen compararunt sequentes. 1. Joannes de la Mainferme ex Ordine Fontis Ebraldi, qui in defensionem Roberti de Arbrisselles hujus Ordinis Fundatoris tres tomos scri-

scripsit contra calumniatorem hæreticum Rosælinum. II. Ludovicus Bulteau Benedictinus ex Congregatione sancti Mauri scripsit Historiam Monachorum Orientis, versionem Dialogorum S. Gregorii Magni unacum erudita Præfatione, in qua tam ipsum opus suo Authori, quam miracula veritati vindicat: edidit insuper Historiam Monachorum Occidentis, seu Synopsin Historiæ Ordinis S. Benedicti, Curam Clericalem, Vindicias opinionis Lactantii de usura, falsum depositum, seu refutationem errorum popularium circa usuram; Gallice etiam reddidit Ludovici de Vives introductionem ad sapientiam. III. Christophorus Tachon ex eadem Congregatione posteris reliquit librum de Sanctitate & officiis Concionatoris Evangelici, artem bene Concionandi, & succinctam methodum Catechisandi. IV. Jacobus du Frische ejusdem Congregationis Monachus concinnavit novam editionem S. Ambrosii unacum notis, aliam editionem S. Gregorii Nazianzeni, quam morte præventus Francisco Louvarto complendam reliquit. V. Paulus Peliffon, qui ex Scripturæ S. & Patrum lectione Calvinii errores, quos materno lacte suxerat, detegens, atque ad Ecclesiæ Sinum reversus, acriter

Sæc. XVII.
A. C. 1693.

*Journal des
Sçavans ad
Anno 1665.
pag. 75.*

Hist. Eccles. Tom. LXVI.

M

ter

Sæc. XVII. ter Sectarios impugnaverat: Scripsit
A. C. 1693 reflexiones in diffidia Religionis, atque
 earum vindicias contra Leibnitzium,
 Chimæras Juriei seu responsionem ge-
 neralem ad ejus Epistolas Pastorales,
 tractatum de Eucharistia contra Au-
 bertinum, Paraphrasin in Institutiones
 Justiniani præter poemata Christiana,
 & breves preces sub Missa. VI. Joan-
 nes Dominicus Nicoluccius Ord. FF.
 Præd. vulgavit tractatum Theologicum
 de Justificatione impii, Scrutinium Sa-
 cerdotale, tractatum de paupertate Re-
 ligiosorum & novum thesaurum Sacer-
 dotum. VII. Carolus Patin publici ju-
 ris fecit Familias Romanas ex antiquis
 Numismatibus, introductionem ad Hi-
 storiam ex scientia numismatum, in
 quo tamen opere Sabotum deflorasse
 carpitur ab Authore Diarii Eru-
 ditorum, scripsit etiam Icones & vitas
 Professorum Patavii, commentaria in
 monumentum Marcellinæ, & Ceno-
 taphium Astorii præter plura alia opu-
 scula Medica, aliaque Numismaticam
 scientiam illustrantia.

§. LVIII.

*Scriptores Acatholici hoc anno mor-
 tui, eorumque opera.*

Pari-

Pariter mortis necessitati cesserunt hoc anno Sæc. XVII. A. C. 1693. nonnulli, quorum opera recensere lubet, & quidem I. Gebhardus Meierus scripsit introductionem ad universum Theologiæ moralis studium, Chiliasmum profligatum, Historicam relationem de Canonum Collectionibus, Historiam religionum ab Orbe condito, atque animadversionem Peterfenii. II. Isaac Avuhafin judaismomatus, postea Baptizatus, ac demum ad vomitum reversus edidit R. Abraham Cohen Irtæ Beth Elohim, Domum Dei, & Schaar Haschamajim, præter portam cæli. III. Joannes Daniel Major scripsit de Christo Medico, & de jejuniis Christi. IV. Nathanael Falckius posteris reliquit tractatum de dæmonologia recentiorum falsa, septennarium Sacrum Concionum, præter disputationes. V. Joannes Schubart vulgavit exercitium Theologicum de Providentia Dei, & assertiones Theologicas de prædestinatione.

Witte biogr. Diar.

§. LIX.

Decretum Innocentii XII. Papæ in causa Mechliniensis Archiepiscopi.

M 2

Post-

Sæc. XVII. **P**ostquam Mechliniensis Archiepiscopi
A. C. 1694. formula, necnon Patris Desirantii

& Doctoris Hennebeli scripta ultro ci-

Acta Concil. troque non sine diuturno, maturoque

Hard. t. II. examine discussa fuere, omnes S. Con-

pag. 157. gregationis Patres (exceptis tribus Car-

Recueil Hist. dinalibus) censuerunt, nova Constitu-

des Bull. &c. tione Apostolica cuncta hucusque con-

pag. 315. tra Jansenium decreta esse confirmanda,

simulque puræ ac simplicis formulæ

usum denuo præscribendum esse: Igi-

tur ex horum sententia Innocentius

Papa die vigesima octava Januarii se-

quens promulgari iussit Decretum:

„Sanctissimus D. N. P. Innocentius

„XII. auditis votis D. D. Cardinalium

„ad præcavendas omnes dissidiorum

„causas, quæ Christianam pacem di-

„lacerant tam verbis, quam scriptis se-

„per interpretatione seu declaratione

„Formularii Alexandri VII. in condem-

„natione quinque Propositionum ex Li-

„bro *Cornelii Jansenii*, cui titulus est:

„*Augustinus* excerptarum, & damnata-

„rum quoscunque alios sensus Formu-

„larii prædicti, præter eum, quem in

„sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri

„usurpari, aut de his disputari inter-

„dixit, & prohibuit, ac super ejusdem

„Formularii interpretatione, sicut &

„prædictarum Propositionum in alios

„sensus, præter eum, quem ipsa verba

„per

„per se exhibent, omnibus & singulis Sæc. XVII.
 „cujusvis Religionis, Ordinis, Congre- A. C. 1694.
 „gationis, Instituti, & Societatis etiam
 „de necessitate exprimendæ, Regulari-
 „bus, & aliis quibuscunque tam Ec-
 „clesiasticis, quam sæcularibus perso-
 „nis cujuscunque status, conditionis,
 „gradus, Ordinis, & dignitatis tam
 „Ecclesiasticæ, quam sæcularis perpe-
 „tuum silentium imposuit. Omnes vero
 „Libros, Tractatus, Theses, compo-
 „sitiones, scripta ex professo, vel inci-
 „denter, sub quovis prætextu, & oc-
 „casione in lucem editos, vel edita su-
 „per hujusmodi materia prohibuit, &
 „pro prohibitis haberi voluit, & man-
 „davit: lisdemque personis supra enu-
 „meratis districte injungit, ne imposte-
 „rum audeant imprimere, vel imprimi
 „facere: seu quoquo modo in lucem
 „edere Libros, Tractatus, Theses,
 „compositiones, & scripta de supradicta
 „materia tractantes, seu tractantia. Et,
 „ut hujusmodi Decretum inviolabiliter
 „super omnibus in eo contentis obser-
 „vetur, præcepit, & declaravit, Con-
 „travenientes, pœnas privationis di-
 „gnitatum, & Officiorum suorum, vo-
 „cis activæ, & passivæ, Facultatis con-
 „cionandi, publice legendi, docendi &
 „interpretandi ipso facto, absque alia
 „declaratione incurrere, & aliis etiam

Sæc. XVII. „pœnis Sanctitatis suæ & Successorum
 A. C. 1694. „suorum Romanorum Pontificum ar-
 „bitrio subjacere, librosque omnes,
 „Tractatus, Theses, Compositiones &
 „scripta, quos, seu quæ contra dicti
 „decreti tenorem edi contingeret, abs-
 „que alia declaratione tanquam ex-
 „presse prohibitos, vel prohibita haberi,
 „& impressores præter amissionem Li-
 „brorum, pecuniis, aliisque Corpora-
 „libus pœnis teneri, præcepit & man-
 „davit. „

§. LX.

*Epistola ejusdem Pontificis ad Belgii
 Episcopos circa idem decretum.*

*Argentre
 Coll. Jud.
 p. 3. fol. 390.*

Ut vero hoc decretum executioni da-
 retur, motæque controversiæ circa
 juramenti formulam sopirentur, Inno-
 centius XII. Papa illud ad Belgii Epi-
 scopos transmisit, quoniam vero nimis
 solemne erat illo ævo, ut omnes, qui
 Molinistarum opinionibus adversaban-
 tur, tanquam Jansenii fautores tradu-
 cerentur, atque invidioso Jansenistarum
 nomine nuncuparentur, plerumque eo
 fine, ut tales ab officiis, Academiis,
 dignitatibus, Beneficiis, aliisque fun-
 ctionibus arcerent, & sese loco ipsorum
 ejusmodi accusatores intruderent, hinc
 Pontifex hanc calumniandi licentiam
 inhi-

inhibuit, die sexta Februarii datis se- Sæc. XVII.
 quentibus ad Belgii Episcopos literis: A. C. 1694.

Venerabiles Fratres.

„Nuper ex literis Ftaternitatum Ve-
 „strarum primum accepimus, orta esse
 „inter Theologos Belgii dissidia, dum
 „alii alios incusant tanquam novarum
 „opinionum sectatores, qui cum verbo,
 „tum scriptis, Constitutiones felicis re-
 „cordationis Innocentii X. & Alexan-
 „dri VII. prædecessorum nostrorum, in
 „quibus V. Propositiones ex Libro *Cor-*
 „„nelii Jansf. cui titulus est: *Augustinus*
 „excerptæ, & damnatæ, una cum For-
 „mulario juramenti in earumdem con-
 „demnationem præstandi continentur,
 „variis interpretationibus inutiles, &
 „inefficaces quodammodo reddere, non
 „sine gravi animarum detrimento co-
 „nantur. Cumque maximæ nobis curæ
 „esse debeat pro debito pastoralis regi-
 „minis nobis ex alto commissi, ut sem-
 „per firmæ prædecessorum nostrorum
 „Constitutiones permaneant, in rebus,
 „quæ ad Orthodoxæ fidei integritatem
 „conducunt: ad dissidia omnia, quæ
 „Ecclesiæ & Fidelium pacem pertur-
 „bant, compescenda, imprimis præ-
 „dictis Constitutionibus Innocentii X.
 „& Alexandri VII. exemplo prædecef-
 „sorum nostrorum firmiter inhærentes,

M 4

„eas-

Sæc. XVII. „easque in suo robore fuisse, & esse de-
 A. C. 1694. „clarantes Fraternitatibus Vestris, de
 „quarum zelo, & pietate plurimum in
 „Domino confidimus, mandamus, ut
 „contra omnes & quoscumque cujus-
 „libet status, gradus, & Conditionis
 „existent, qui ausu temerario prædictas
 „quinque Propositiones sic damnatas
 „in Constitutionibus Innocentii X. &
 „Alexandri VII. publice, vel privatim,
 „tam in scholis, quam in Concionibus,
 „verbo, vel scriptis defendere præsum-
 „pserint (servato tamen juris ordine)
 „procedatis, eosque debitis pœnis in
 „eisdem Constitutionibus contentis,
 „puniri curetis: Cum ad comprimen-
 „dum tam grave malum, quod jam
 „diu Catholicam Ecclesiam vexat, effi-
 „caciùs remedium adhiberi non posse
 „videatur.,,

„Præterea Fraternitatibus Vestris
 „injungendum duximus, prout per
 „præsentes injungimus, ut pro vestra
 „pietate & prudentia, facultate ista,
 „qua per Constitutionem Apostolicam
 „muniti estis, ita Formularii subscri-
 „ptionem, seu juramentum, ad præ-
 „xim reducat: ut in exigendo jura-
 „mento prædicto, Zelus & Caritas
 „Vestra quam maxime eluceat, ne ali-
 „cujus fama indebite lædatur, aut de-
 „tractionibus, & murmurationibus lo-
 „cus

„cus detur. Quare præcipimus, ut Sæc. XVII.
 „quemadmodum ii, qui ad juramen- A.C. 1694.
 „tum adigendi sunt, illud præstare de-
 „beant, sincere, absque ulla distin-
 „ctione, restrictione, seu expositione
 „damnando eas Propositiones ex Libro
 „*Jansenii excerptas in sensu obvio, quem*
 „*ipsamet Propositionum verba præseferunt,*
 „prout sensum illum damnarunt SS.
 „Pontifices Prædecessores nostri, dam-
 „natumque haberi voluerunt a Christi
 „Fidelibus; ita per Fraternitates Ve-
 „stras ab iis, qui prædicto formulario
 „subscribent, ac juramentum præsta-
 „bunt, præter formulam ipsam tradi-
 „tam, verbaque in Constitutione Apo-
 „stolica præscripta, aliquid aliud vel
 „minimum declarationis, interpreta-
 „tionis, aut explicationis verbo vel
 „scripto, non exigatur, etiam sub præ-
 „textu, quod additiones ad nos trans-
 „missæ comprehendantur, seu conti-
 „neantur in Formulario Alexandri VII.,
 „Cæterum ad præcavendas omnes
 „diffidiorum causas, quæ Christianam
 „pacem dilacerant; nos quoscunque
 „alios sensus Formularii, præter eum,
 „quem ipsius verba exhibent, afferri,
 „vel usurpari, aut de his disputari in-
 „terdiximus, & prohibuimus, ac super
 „ejusdem Formularii interpretatione,
 „sicut & prædictarum Propositionum,

Sæc. XVII. „in alios sensus præter eum, quem
 A. C. 1694. „ipsa verba per se exhibent, perpetuum
 „silentium imposuimus, ut ex nostris
 „decretis tam super ipso silentio, quam
 „super prohibitione omnium librorum
 „editorum, & edendorum in hac ma-
 „teria, plenius innotescat: cum ad
 „summum Pontificem duntaxat perti-
 „neat sensum, quem in his Propositio-
 „nibus damnauerit, & ut damnatum
 „a fidelibus credi censuerit, decla-
 „rare. „

„Demum ad extinguenda Theolo-
 „gorum jam pridem inter se diffidia
 „Fraternitatibus Vestris, quantum in
 „Domino possumus, præsentibus no-
 „stris mandatis injungimus, ne ulla
 „ratione quemquam vaga ista accusa-
 „tione, & inuidioso nomine *Jansenismi*
 „traduci, aut nuncupari sinatis, nisi
 „prius suspectum esse constiterit, ali-
 „quam ex his Propositionibus docuisse,
 „aut tenuisse; nec quemquam sub hoc
 „prætextu repelli ab Officiis, muniis,
 „beneficiis, gradibus & Concionibus
 „habendis, vel alia quacunque functio-
 „ne Ecclesiastica permittatis: nisi ser-
 „vato juris Ordine, eam pœnam, quæ
 „viris alioquin Catholicis gravissima est,
 „commeruisse probatum fuerit. „

„Hæc ad Fraternitates Vestras re-
 „scribenda decrevimus, non de Vestra
 „vo-

„voluntate, & studio erga Ecclesias Sæc. XVII.
 „fidei vestræ creditas diffidentes, sed A. C. 1694,
 „animi nostri affectum, & omnium Ec-
 „clesiarum sollicitudinem testificantes:
 „ut tandem, qui Pastor Pastorum est,
 „vigilasse nos in gregis nostri custo-
 „diam Divino suo iudicio comprobare
 „dignetur.„

Eadem die Pontifex literas dedit
 ad Facultatem Lovaniensem, quibus
 significabat, haud opus esse nova de-
 cisione doctrinæ de auxiliis gratiæ;
 sufficere enim, ut credantur ea, quæ
 per sacræ Sedis Constitutiones definita
 essent, postea hortabatur Facultatis
 Doctores, ut SS. Augustini & Thomæ
 doctrinam, cui se semper adhæsisse di-
 cunt, ulterius teneant, & formulæ
 subscribant.

§. LXI.

*Declaratio Joannis Hennebel circa
 Pontificis decretum.*

Hæc Pontificis declaratio, ejusque
 literæ summopere displicuerunt
 tam Hennebelo, quam ceteris Jansenii
 fautoribus tum Romæ existentibus;
 nullus enim dubitandi locus supererat,
 tam Pontificis decreto quam ejusdem
 literis formulam Alexandri VII. in ple-
 no suo vigore fuisse conservatam, om-
 nesque

Sæc. XVII. A. C. 1694. nesque, qui eidem subscribunt, quinque propositiones velut ex Jansenii libro extractas in sensu connaturali & obvio, quem verba præferunt, *sine omni distinctione, restrictione, aut explicatione* damnare teneantur: Eapropter Jansenistarum Deputati ad præcipuos suos fautores in Flandriam varias dederunt literas, quibus suum de adverso successu dolorem testabantur, in Romanam Curiam atque Inquisitionem acrius invehentes, eoquod Mechliniensis Archiepiscopi formula in Belgium inuenta, fuisset approbata, dum eidem sine exceptione, atque explicatione *in sensu obvio* etiam in Belgio subscribi præcipitur: Verum in præcipuis hujus factionis membris nec animositas, nec omnes fingendi, simulandi, mentiendique fontes adhuc erant exhausti: Præprimis Quesnellus Pontificis decretum nullatenus quæstionem facti tangere interpretabatur, nam, inquebat Belgicæ *Theologi bona fide ac mentis rectitudine agentes facile intellexerunt, quod sacra Sedes Bullas & formulam explicando, sufficienter declararit, se fidem circa Jansenii factum non exigere, sed juramentum & subscriptionem duntaxat super jus cadere:* Alii spargebant, rejectam esse Archiepi-

(*) Epist. die 6. Februarii Anno 1694.

episcopi additionem; potissimi ex con- Sæc. XVII.
 dicto victoriam & triumphum, ut igna- A. C. 1694.
 ros fallerent, canebant, jactitantes,
 Papam his verbis *in sensu obvio* non plus
 exigere, nisi ut subscriptio & damnatio
 fieret propositionum in sensu obvio,
 sine respectu ad sensum vel librum, ex
 quo eas fuisse extractas diceretur, ac
 insuper Papam haud obscure indicasse,
 quod Jansenio alius sensus a sua mente
 alienus fuerit attributus: sensus autem
 obvius seu connaturalis non esset sen-
 sus Jansenii, sed longe diversus, qui
 aliis præsesertur: audacter etiam suis
 adversariis insultabant, dicentes, quod
 Innocentius XII. suorum Prædecesso-
 rum Constitutiones revocaverit, & si
 quid in ejus decreto contra Jansenium
 dictum fuerit, id duntaxat *historice ac*
narrative factum sit. Quamvis Henne-
 belus eorum Deputatus suæ causæ
 mortiferum vulnus fuisse inflictum sat
 probe cognosceret, cum lupis tamen
 ullulandum ratus, ad eorum mentem
 mox promulgato Innocentii XII. de-
 creto Sacræ Congregationi sancti Officii
 sequentem obtulit libellum:

„Viso decreto, quod die 28. Ja-
 „nuarii 1694. conditum die 4. Februarii
 „sequentis emanavit, magnas agit gra-
 „tias Eminentis Vestris pro tantis la-
 „boribus in Formularii negotio susceptis,
 „pror-

Sæc. XVII. „prorsusque confidit, summa Eminen-
 A. C. 1694. „tiarum Vestrarum Sapientia ac Pru-
 „dentia viam modo stratam esse termi-
 „nandis diffidiis, quæ Christianam in
 „Belgio pacem tanto jam tempore la-
 „cerarunt. „

„Exprimere nequit Orator, Emi-
 „nentissimi Patres, quo animi sui sensu
 „ac gaudio acceperit, quod in præfato
 „Decreto statuerint Eminentiaæ Vestrae,
 „ne quis quamvis alium quinque proposi-
 „tionum sensum afferat, præter eum,
 „quem ipsa quinque propositionum ver-
 „ba per se exhibent, quia hoc principio
 „authoritate Sedis Apostolicæ jam sta-
 „bilito, in fumum abeunt difficultates
 „omnes, quibus hætenus Belgium mi-
 „sere agitatum fuit. „

„Non enim veretur Orator coram
 „Eminentissimis Vestris, & Orbe universo
 „confidentissime affirmare, e Belgii
 „Theologis, qui de Jansenismo ab ad-
 „versariis notantur, nullum prorsus esse,
 „qui quinque propositiones in eo sensu,
 „quem ipsa quinque propositionum ver-
 „ba per se exhibent, damnare de-
 „trechet. „

„Cum vero insuper tum ex Consti-
 „tutionibus Apostolicis, tum ex ipso
 „Eminentiarum Vestrarum Decreto ma-
 „nifestum sit, sedem Apostolicam sic Jan-
 „senii verba accepisse, sic ejus librum,
 „cui

„cui nomen *Augustinus*, intellexisse, Sæc. XVII.
 „ut censuerit in eo contineri sensum, A. C. 1694.
 „quem quinque propositionum verba
 „per se exhibent, quisquis damnat
 „quinque propositiones in sensu, quem
 „eorum verba per se exhibent, necesse
 „est, ut eas damnet in sensu ab auctore
 „intento, prout illum Sedes Apostolica
 „intellexit, prout in quinque propo-
 „sitionibus sensum, quem libro illi attri-
 „buebat, expressit, atque damnavit.
 „Juxta hanc expositionem, quæ
 „sane peregrina non est, plurimisque
 „exemplis confirmari potest, non hoc
 „a fidelibus exigitur, ut generaliter
 „damnent quemcunque sensum a Jan-
 „senio intentum, etiam illum, quem
 „neque in quinque propositionibus
 „juxta sensum obvium intellectus Sedes
 „Apostolica exprimit, nec fidelibus in
 „libro prohibito scrutari licet, sed hoc
 „unum ab eis exigitur, ut eum dam-
 „nent cum Clausula, quam Formula
 „ipsa satis exprimit, prout nempe Se-
 „des Apostolica illum intelligit, atque
 „damnat. Certissimum vero est, sedem
 „Apostolicam sic intelligere, & dam-
 „nare sensum illum, prout ipsa quinque
 „propositionum verba per se illum ex-
 „hibent.

„Postquam Sedes Apostolica suum
 „de privati Auctoris sensu judicium
 „pro-

Sæc. XVII. „protulit, optime nostis, Eminentissimi
A. C. 1694. „mi Patres, ex communibus, passim-

„que receptis Theologiæ principiis pe-

„tendum esse, quid illi deferendum sit. „

„Quod ad Oratorem attinet, suum

„super eo sensum coram Eminentiss

„Vestris non semel expressit, nuper

„iterum in suis ad Epistolam Patris

„Desirandt Annotationibus aperte pro-

„fessus, eam Sedis Apostolicæ judicio

„de sensu a privato quopiam auctore

„intento observantiam, reverentiam-

„que deberi, quam in sua ad Clementem

„nonum Relatione declaravit Catalau-

„nensis Episcopus, sponondisse qua-

„tuor illos alios celeberrimos Galliæ

„Episcopos, quorum caussa sub eodem

„Pontifice ad Apostolicam sedem de-

„lata fuit, quamque & non aliam de-

„beri, tam ipse Catalaunensis cum il-

„lis quatuor Episcopis, quam alii no-

„vemdecim, quorum in eadem Rela-

„tione fit mentio, unanimiter sen-

„tiebant. „

„Sane si alias sustinuit Orator con-

„fidenter, sensum illum Sedis Apосто-

„licæ menti per omnia esse conformem,

„hoc ipsum modo (sub humillima cor-

„rectione) sustinet multo confidentius,

„relecto libro manuscripto Cardinalis

„Rospigliosi Eminentiss Vestris notif-

„simo. „

„Si-

„Siquidem ex illo constat, actam Sæc. XVII.
 „supra memoratam præfatis Oratoris A. C. 1694.
 „Annotationibus de verbo ad verbum
 „insertam, a Catalaunensi Episcopo &
 „Doctore Arnaldo subscriptam, non so-
 „lum Clementi Papæ IX. missam fuisse,
 „nec solum ab eo qualitercumque, &
 „suo tantum silentio dissimulatam, aut
 „probatam, sed insuper ex illius libri
 „Numero 163. constat, Clementem IX.
 „visa acta illa (cujus in ipsis literis de
 „Pontificis mandato scriptis sit expressa
 „mentio) declarasse, & e Secretaria
 „Status die 19. Januarii 1669. Aposto-
 „lico Nuntio scribi jussisse, quod qua-
 „tuor Episcopi sincere subscripsissent,
 „& Apostolicæ Sedî integre obedivif-
 „sent, ac satisfecissent. „

„Ita manifestum est, censuisse Cle-
 „mentem IX. quod sensus, quem For-
 „mulario tribuebant quatuor illi Epi-
 „scopi, Orthodoxus, legitimus, satis-
 „que obvius foret, & talem revera esse,
 „productis pluribus propositionibus vul-
 „gatissimis, in quibus eædem voces eo-
 „dem prorsus modo accipiuntur, ad
 „primum Eminentiarum Vestrarum nu-
 „tum probare paratus est Orator, at-
 „que ita certiores eas reddere, & a-
 „perte declarare, non tantum qua ve-
 „neratione earum Decretum, ample-
 „ctatur, & exosculetur, verum etiam
 „quo

Hist. Eccles. Tom. LXVI.

N

„quo

Sæc. XVII. „quo Zelo tueri illud, ac propugnare
 A. C. 1694. „velit.,

„Declarat insuper sensum Formu-
 „larii supra expositum esse eum, juxta
 „quem Belgii Theologi jam pridem de
 „Jansenismo perperam accusati non
 „tantum Constitutionibus Innocentii X.
 „& Alexandri VII. sed etiam nuper
 „Eminentiarum Vestrarum Decreto ob-
 „sequi volentes, Formulario subscribere
 „parati sunt.,

„Denique declarat, præfatos Theo-
 „logos ex motivis iupra relatis, & aliis,
 „cum opus fuerit afferendis, semper,
 „ac constanter credituros, eum esse
 „Formularii sensum verum, legitimum
 „& obvium, nec tantum celeberrimo-
 „rum quorumcumque Theologorum
 „Doctrinæ, sed ipsius quoque Sedis
 „Apostolicæ menti per omnia confor-
 „mem, nisi ab ipso Apostolicæ Sedis
 „oraculo didicerint, se in hac exposi-
 „tione sua a veritate aberrare, aut
 „quidpiam in ea contineri, vel a mente
 „Sedis Apostolicæ, vel a reverentia ei
 „debita alienum.,

Verum falsam hanc *obvii sensus* in-
 terpretationem Innocentius XII. postea
 evertit, declarando, quod sensus ob-
 vius intelligendus sit in ordine ad for-
 mulam Alexandri VII. cui subscriben-
 tes expresse profitentur, se quinque
 pro-

propositiones damnare in sensu Jan-
senii, atque ab eo intento.

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

Cum autem idem Hennebelus in
sua epistola die vigesima septima Fe-
bruarii ad Mechliniensem Archiepisco-
pum falsa interpretatione S. Con-
gregationis decretum die vigesima
octava Januarii editum depravasset,
hinc coram S. Congregatione die de-
cima quarta Septembris sequentem de-
clarationem facere iussus est: „Ego
„Joannes Libertus Hennebel ex parte
„Sacræ Congregationis S. Officii pa-
„terne admonitus, Epistolam quam 27.
„Mensis Februarii proxime elapsi ad
„Reverendiss. D. Archiepiscopum Mech-
„liniensem scripsi, eidem Sacræ Con-
„gregationi multum displicuisse, ut-
„pote quam Eminentissimi Patres De-
„creto Apostolico die sexta ejusdem
„Mensis emanato contrariam esse judi-
„caverunt: declaro per præsentem, quod
„huic Sacræ Congregationis de epistola
„mea Judicio per omnia me submitto,
„improbans, quidquid Eminentissimi
„Patres in præfata epistola mea im-
„probandum censuerunt. Epistolam
„vero ipsam scripsisse multum doleo;
„neque me impostero simile quid fa-
„cturum, sed Decretum Apostolicum,
„præscriptumque in eo silentium invio-
„labiliter observaturum promitto, hoc

N 2

„unum

Sæc. XVII. „unum impræsentiarum Eminentiffi-
 A. C. 1694. „mos Dominos rogans humillime, ut
 „mihi culpam ingenue agnoscenti, ac
 „emendare spondenti, pro sua benigni-
 „tate, ac paterna pietate ignoscere,
 „& veniam dare dignentur.„

§. LXII.

*Innocentii XII. Pontificis literæ ad
 Archiepiscopum, aliosque Belgii
 Episcopos.*

Hasce Novatorum artes, dolosque,
 quibus Pontificis decreta, ac for-
 mulæ subscriptionem eluserant, sensum-
 que novæ Constitutionis perverterant,
 ægerrime ferebant Belgii Episcopi;
 unde inter eos Antverpiensis, Brugen-
 sis, Ruremundanus & Gandavensis Epi-
 scopi hanc Mechliniensis Archiepiscopi
 formulam subscribi, ab omnibus Eccle-
 siasticis petebant: *Ego N. Constitutioni
 Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maij
 1653. & Constitutioni Alexandri VII.
 Datæ 16. Octobris 1656. summorum Pon-
 tificum, me subjicio, & quinque proposi-
 tiones ex Cornelii Jansenii libro, cui no-
 men Augustinus, excerptas, & in sensu ab
 eodem Autore intento, prout illas per dictas
 Constitutiones sedem Apostolica damnavit,
 sincero animo rejicio, ac damno, & ita
 juro,*

juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Sæc. XVII.

A. C. 1694.

Verum hanc formulam juramento firmare renuerunt non pauci, atque inter eos Franciscus Boterdael palam declarabat, *se non esse paratum illimitate, sed secundum Breve Innocentii XII. subscribere*: alius etiam Oratorii Bruxelensis Sacerdos juxta Alexandri VII. formulam subscribere recusabat, pro quo tamen Quesnellus totius Oratorii nomine ad summum Pontificem literas perscripsit, quibus subditos hos induxerat, ut contra Archiepiscopum suum querelas deferrent: passim etiam Jansenii fautores spargere haud cessabant, quod Innocentius XII. suorum Prædecessorum Constitutiones retractaverit, ac duntaxat propositiones in *sensu obvio* damnarit, non autem librum Jansenii aut sensum ab eo intentum damnari petierit. Tam sinistra interpretatione ac petulanti agendi ratione offensi Præsules supra nominati unacum Mechliniensi Archiepiscopo, die nona Julii ad Papam dederunt literas, quibus vehementius, quam par erat, querebantur, quod quidam Belgæ Theologi diffidia circa Jansenii librum innovantes, Pontificum Constitutiones & formulam detortis explicationibus eluderent: clarius igitur Papa suam explicaret

N 3

men-

Sæc. XVII.
A.C. 1694

mentem: Acceptis hisce literis Pontifex die vigesima quarta Novembris anni sequentis ad Mechliniensem Archiepiscopum, necnon ad Antverpiensem, Ruremundanum, Brugensem & Gandavensem Episcopos hæc perscripsit: „Literas, quas decima nona Julii „ad nos dedistis, libenti animo accepimus, cum in illis Vestras ad hanc „Sedem preces intellexerimus, quibus „nostrum judicium pro sana doctrina vestris in diæcesibus regulanda postulatis. Ex iisdem autem literis aperte „apprehendimus, mala, quæ quoad „Janfenismum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevi a nobis 6. Februarii anni millesimi sexcentissimi nonagesimi quarti ad vos dato satis „ipsis non sit consultum, sed potius, „quia idem Breve executioni fortasse, „uti par esset, non mandatur, cum illud nulla prorsus indigeat explicatione, „aptumque sit, ut in ipso præscripta „adimpleantur, efficax, atque opportunum asserre remedium. Quodsi „*prætensi Janfenistæ* interne, & absque „eo, quod deveniant ad ullum actum „externum, dum jurant formularium, „non aliter damnent quinque Propositiones, quam in sensu obvio, non habito respectu ad obvium sensu dicti Formularii, suoque arbitrio effingant „ejus-

„ejusmodi sensum obvium, Ecclesia Sæc. XVII.
 „non judicat de occultis, quæ soli Deo A. C. 1694.
 „Cordium scrutatori innotescunt. Sin
 „vero iidem prætensi *Jansenistæ* voce,
 „aut scriptis edant proprios sensus Apo-
 „stolicarum Constitutionum, prædicti-
 „que Brevis sensui dissentaneos, de-
 „bent Episcopi, prout de jure, contra
 „eos procedere, non tantum authori-
 „tate ordinaria, sed etiam speciali fa-
 „cultate ipsis indulta a Constitutioni-
 „bus prædecessorum nostrorum felicis
 „recordationis Innocentii X. & Ale-
 „xandri VII. quas nos quoque confir-
 „mavimus, ita ut servatis servandis
 „congrue puniantur, cum ea omnia
 „facile probari possint, quia agitur de
 „actibus externis. „

„Non sine admiratione intelleximus,
 „nonnullos istis in diæcesibus reperiri,
 „qui verbis & calamo ausi fuerint affir-
 „mare supradicto nostro Brevis altera-
 „tam, seu reformatam esse Constitutio-
 „nem Alexandri septimi decima sexta
 „Octobris anni millesimi sexcentissimi
 „quingentesimi sexti editam, necnon
 „formularium ab ipsomet pronuntia-
 „tum, cum dicto Brevis utrumque spe-
 „cifice confirmetur, & omnino inten-
 „derimus, & intendamus iisdem ad-
 „hærere, & nequaquam sinere, ut ali-
 „quid addatur, vel dematur a prædicto

Sæc. XVII. „Formulario, illud quovis modo alte-
 A. C. 1694. „rando in aliqua ejus minima parte,
 „sed quod in omnibus, & singulis ejus-
 „dem partibus, uti mandavimus, man-
 „damus etiam ad amissim observari.
 „Quod attinet ad Libros Sacræ Scri-
 „pturæ idiomate vulgari traductos, &
 „alios prohibitos, patent Constitutio-
 „nes Prædecessorum nostrorum, & po-
 „tissimum felicis recordationis Pii IV.
 „a quibus fatis superque abusibus pro-
 „videtur, uti etiam confugia ad alia
 „Tribunalia a consimilibus Constitutio-
 „nibus inhibentur, quarum Episcopi
 „suis in Diæcesibus observantissimi exe-
 „cutores esse debent. „

„Quod pertinet ad pendentes Con-
 „troversias circa administrationem Sa-
 „cramentorum; donec aliquid specia-
 „lius decernatur, ab iisdem Episcopis
 „advigilandum est, ut juxta Sanctio-
 „nes Canonicas, Statuta Conciliorum,
 „& praxim Ecclesiæ administrantur,
 „habita casuum, atque eorum circum-
 „stantiarum ratione. Etenim in præ-
 „sens magna sollicitudine discussioni
 „Propositionum, quæ inter alias abunde
 „delatas ad hoc argumentum spectant,
 „adlaboratur a Consultoribus, & Qua-
 „lificatoribus supremæ hujusce Inqui-
 „sitionis, qui omnes sunt Prælati, ac
 „Doctrina præstantes. De vestra au-
 „tem

„tem iu hanc sedem observantia adeo Sæc. XVII.
 „præclare sentimus, ut plane confida- A. C. 1694.
 „mus, non omiffuros vos ejusdem man-
 „data debita charitate & prudentia
 „exequi; firmam in spem venientes,
 „restituendam tandem isti Provinciæ
 „tranquillitatem, qua cæteræ omnes
 „fruuntur, Fraternitatibus interim ve-
 „stris Apostolicam Benedictionem per-
 „amanter impertimur. „

Mirum, quam audacter Jansenii fautores tripudiabant ob hæc Pontificis verba: *prætensi Jansenistæ*, perinde ac si ipsemet Pontifex cenfuisset, Jansenismum esse merum phantasma, atque existimatam hæresin: Ast triumphum ante victoriam cecinisse, facile deprehendere potuissent, si bona fide animadvertere voluissent, quod idem Pontifex in eadem Bulla damnarit omnes formulæ subscriptiones, si puræ, simplices, & sine omni restrictione juxta sensum Alexandri VII. propositiones in Jansenio contineri, & in Jansenii sensu damnatas fuisse, declarantis, factæ non fuerint. Id enim erat principale, cui semper Belgæ Episcopi institerunt, & cui sese omnes Jansenii asseclæ pertinaciter opposuerunt, & in suæ contumaciæ defensionem tot seditiosa & schismatica scripta in vulgus sparsere.

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

§. LXIII.

Hennebeli querelæ apud S. Congregationem contra Doctorem Franciscum Martin.

Postquam Belgii Episcopi decretum & literas Innocentii Pontificis in suis quisque Diæcesibus promulgaverant, communis omnium, qui ejusmodi decretis obtemperarunt, erat opinio, quod antiqua formula, quam Lovaniensis Universitas adoptaverat, nova Innocentii explicatione ac decreto fuerit abrogata, proinde de Jansenii erroribus quilibet sit suspectus, qui formulæ, in qua ad quæstionem facti spectantia exprimuntur, subscribere renuerit. Hanc doctrinam Franciscus Martin Lovaniensis Doctor publice in Scholis tradebat, quo comperto mox Hennebelus Sacram Congregationem questum accessit, porrecto hoc libello supplicis: „Humillime exponit Joannes Libertus „Hennebel Academiæ Lovaniensis Deputatus, nihil prorsus ex sua parte „obstare, quominus pax inter Belgii „Theologos super Formularii negotio „firmissime sanciat, totumque istud „diffidium juxta leges a Sanctitate sua „Eminentissimis Vestris sapientissime prudentissimeque præscriptas feliciter terminetur. „

„Si

„Siquidem Orator hanc supplici Li- Sæc. XVII.
 „bello fidem facit, Doctorem Huygens, A. C. 1694.
 „aliosque Theologos, seu Viros Eccle-
 „siasticos, quorum partes in Formu-
 „larii negotio specialiter agit, visis
 „ac mature expensis Decreto & brevi-
 „bus Apostolicis ad Episcopos Belgii
 „missis, prompto, ac libenti animo
 „præscriptum Sanctitatis suæ decretum
 „admittere, & exosculari, ejusque in-
 „violabilem observantiam spondere; ac
 „proinde paratos esse Formulario sub-
 „scribere, juxta sensum, modum &
 „formam, quæ in præscriptis decreto,
 „& Brevibus exprimuntur, ubi de hoc
 „legitime requisiti fuerint. „

„Qua quidem filiali eorum obedien-
 „tia, & submissione, Eminentissimi Pa-
 „tres, mota nuper de Formulario dis-
 „sidia facile conquiescerent, & pax tan-
 „topere desiderata coalesceret, nisi ali-
 „qui discordiæ potius, quam pacis a-
 „mantes, pergant sustinere, nullum
 „aliud dari sensum obvium Formularii,
 „præter eum, quem Archiepiscopus
 „Mechlinensis in Additionibus suis ex-
 „posuit, ac proinde Formulario non
 „recte subscribere, imo falsitatis, ac
 „perjurii reos esse, quotquot juxta sen-
 „sum coram Apostolica sede toties ab
 „Oratore sine cujuscumque reprehensione,
 „expositum subscripserint: id quod nu-
 „per

Sæc. XVII. „per post acceptum decretum, & publi-
 A. C. 1694. „cata jam Brevia, non est veritus tra-
 „dere Lovanii in publicis scholis Fran-
 „ciscus Martin sacræ Theologiæ Doctor,
 „ prout patet ex testimonio hic adjuncto.

„Quo etiam, licet tectius, colli-
 „mant nonnulli alii Doctores, qui eo
 „tantum consilio subscriptionem For-
 „mularii in Academiam Lovaniensem
 „introduci flagitant, ut imperitis fu-
 „cum faciant, ac proclamare valeant
 „antiquam Facultatis Theologiæ for-
 „mulam, quæ ab Alexandro VII. ap-
 „probata fuit, cuique hæctenus omnes
 „ad gradus Academicos assumendi sub-
 „scripserunt, Sedis Apostolicæ Autho-
 „ritate ideo esse abrogatam, quod in
 „iis, quæ ad quæstionem facti spectant,
 „obvium Formularii sensum minus ex-
 „primat, hoc est, ut ipsi contendunt:
 „quod non exprimat illum ipsum sen-
 „sum, quem Archiepiscopus Mechli-
 „nensis in suis additionibus expressit.

„Hæc autem Eminentissimi ac Re-
 „verendissimi Domini, cum decreti ac
 „Brevium præfatorum Sententiæ, ipsi-
 „que Sedis Apostolicæ menti contraria
 „esse dignoscantur, atque eo unice
 „tendant, ut dissensiones & Turbæ Sa-
 „pientia ac prudentia Eminentiarum
 „Vestrarum sedatæ, iterum exci-
 „tentur.

„Humil-

„Humillime supplicat Orator, ut
 „per Apostolicum in Flandria Mini-
 „strum, vel per Rectorem Academi-
 „cum, comprobatis iis, quæ in ad-
 „iuncto hic instrumento continentur,
 „corripiatur super his Doctor Martin,
 „& ipsi, cæterisque omnibus inhi-
 „beatur, ne talia circa Formularii sensum,
 „contra expressam decreti prohibiti-
 „onem, publice, vel privatim tradere
 „audeant. „

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.

„Deinde vero, ut circa Formula-
 „rium in Academiam Lovaniensem in-
 „troducendum nihil a quoquam inno-
 „vetur sine expresso Sedis Apostolicæ
 „mandato. Sin vero postea eidem S.
 „Sedi visum fuerit subscriptionem For-
 „mularii in præfatam Academiam in-
 „troducendam esse, supplicat Orator
 „Eminentissimis Vestris, ut dignentur ve-
 „tare, ne quis ex illa Formularii intro-
 „ductione inferre, ac tradere audeat,
 „ab Apostolica sede rejectam, vel dam-
 „natam esse antiquam Facultatis Theo-
 „logicæ Formulam, & approbatam sal-
 „tem indirecte interpretationem For-
 „mularii, quam Archiepiscopus Mech-
 „linensis in suis additionibus proposuit. „

§. LXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

§. LXIV.

*Libri Molinosii erroribus scatentes
proscripti.*

Argentre

l. c. p. 393.

Vid. supra

l. 210. §. 30.

pag. 478.

tom. 65.

Jam anno hujus sæculi octogesimo octavo Sacra Indicis Congregatio decreto die nona Septembris emanato proscripsit Patris Francisci la Combe Barnabitæ *Analysin orationis mentalis*, necnon præfati Authoris, *judicium de variis ejusdem speciebus*: cum autem in superhabito hoc decreto nihilominus hic liber Parisiis passim omnium manibus terreretur, etiam Franciscus Harlæus Parisiensis Archiepiscopus hoc opus die decima sexta Octobris damnavit, æque ac aliud Gallico sermone scriptum, cui titulus, *brevis & facillima methodus vacandi orationi*, eoquod doctrinam in Viennensi & Tridentina Synodo jam damnatam, perniciosam, præcipuis in fidei veritatibus adversam contineret, in contemplatione libertatem extinqueret, inactivitatem, & indifferentiam circa media ad salutem, a præceptis & pietatis exercitiis dispensationem, atque imaginariam Dei jam possessi certitudinem instillent. Hic liber unacum alio, qui inscribitur, *Cantica Canticorum Salomonis in sensu mystico intellecta* fanaticæ mulieri Guyonniæ

nixæ adscribitur, utrumque vero Gode-
 tus Carnutensis Episcopus reprobavit
 unacum aliis ejusdem foeminae Codici-
 bus manu exaratis, quæ aliis clanculum
 distribuebantur, uti jam supra memi-
 nimus.

§. LXV.

*Dubia a Theologis circa D. Maigroti
 Vicarii decretum proposita.*

Cum Carolus Maigrotus Fokiensis in
 Regno Sinarum Vicarius Apostoli-
 cus suum edictum contra Sinenses ritus
 anno priori editum, uti retulimus, a qui-
 busdam Missionariis minime observa-
 tum iri probe prospiceret, hinc, ut ex
 Apostolico mandato plena accederet
 auctoritas, præsatum edictum a sum-
 mo Pontifice confirmandum Romam
 misit: Innocentius itaque totum hoc
 negotium ad Sacram Congregationem
 sancti Officii remisit, & præter Cardi-
 nales adhuc quatuor alios Theologos
 tum doctrinæ excellentia ceteris om-
 nibus Romæ longe celebratissimos se-
 legit, ut hi omnium verborum apices
 ad rigidissimam limam probarent, ac
 desuper referrent: ut vero tanti mo-
 menti negotium omni prorsus diligen-
 tia discuteretur, voluit Pontifex, ut
 præfati hi Doctores prius dubia seu
 quæstiones circa singulos Maigrotiani
 edicti

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.

*Acta causæ
 Rit. Sin.
 pag. 14.
 Charmot
 Hist. cult.
 Sin de rit.
 Sin.*

Sæc. XVII. edicti articulos proponerent, atque du-
 A. C. 1694. bitandi rationes afferrent, ut eo cer-
 tius dignosci posset, an ritus a Maig-
 roto interdicti reipsa superstitiosi & ido-
 lolatrici, vel mere politici essent? De-
 putati autem quatuor Theologi erant
 sequentes: Joannes Maria Gabriellus
 Abbas Generalis Reformatorum sancti
 Bernardi, postea S. R. E. Cardinalis,
 Nicolaus Serranus Prior Generalis Fra-
 trum Eremitarum S. Augustini, Phi-
 lippus a S. Nicolao Ex - Generalis Car-
 melitarum Discalceatorum, ac supremæ
 Inquisitionis Qualificator, & Carolus
 Franciscus Varesius olim Commissarius
 Generalis Ordinis FF. Minorum de Ob-
 servantia Reformatorum. Ut vero
 quæstiones ad rem oppido conducen-
 tes proponerentur, & de facti circum-
 stantiis probe constaret, Innocentius
 Papa etiam adesse voluit Patrem Joan-
 nem Franciscum de Leonissa ex Ordine
 FF. Minorum Episcopum Beritensem,
 & *Hu Quanng* Vicarium Apostolicum,
 Virum Sanctitate ac rei Sinicæ peritia
 longe præstantissimum; hic enim, post-
 quam per plurimos annos in Imperio
 Sinico moratus fuisset, inde Romam
 opportune advenerat, linquæ ac rerum,
 quæ in hisce Regionibus peraguntur, ocu-
 latæ fidei testis, Sinarumque rituum
 peritia apprime instructus: Nec tamen

ex

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

ex aduerso feriabantur illi, qui rituum quorundam usum hucusque indultum ab idololatriæ noxa vindicatori, libellum supplicem Pontifici & Sacræ Congregationi unacum observationibus in præfatum Maigroti edictum factis exhibuerunt. Nihilominus solerti admodum cura, cunctisque serio atque exacte perpensis, & audita facti & circumstantiarum plena relatione Cardinales atque Theologi Deputati supra septem edicti Maigrotiani articulos sequentia proposuere dubia seu Quæstiones, & quidem *super primo articulo* quæsitum: „An excludi debeant nomina Europæa, ad significandum Deum optimum Maximum? „Nomen enim Deus, aliaque vocabula Europæa, quibus supremum Ens significatur, Sinicis characteribus expressi vix posse, nullamque rei significatæ ideam apud Sinas excitare videntur. „

Secundo. „An ad significandum Deum optimum Maximum, repellendæ sint voces TIEN, Cælum, vel XANG TI, Supremus Imperator?

„Ratio dubitandi erat, quia licet aliqui Missionarii Europæi existimaverint, & existiment, antiquos Sinas præfatis nominibus TIEN, & XANG TI, indigitasse Deum vivum, & verum; nihilominus Missionarii fere om-

Hist. Eccles. Tom. LXVI.

O nes

Sæc. XVII. „nes asserunt, quod Sinenses literati
 A. C. 1694. „(quæ est præcipua in Sinæ Imperio
 „secta) quatenus ejusdem sectæ doctri-
 „nam exponunt, & sequuntur, saltem
 „a quingentis annis, cum in Atheis-
 „mum deciderint, vel omnes, vel ut
 „aliquibus videtur, fere omnes, no-
 „minibus TIEN, & XANG TI, nil a-
 „liud, nisi Cælum materiale, & visi-
 „bile, vel ad summum quamdam Cæli
 „virtutem eidem Cælo insitam, quam
 „rerum omnium principium, seu po-
 „tius Conprincipium esse putant, de-
 „signant. Unde Cælo sic sumpto,
 „quemadmodum & Terræ, Planetis,
 „Montibus, & Fluviis respective sacri-
 „ficant: Et in Regiis urbibus Pecking,
 „& Nanching templa visuntur, in qui-
 „bus statis anni temporibus, præser-
 „tim in templo Pechinensi, ipsemet Im-
 „perator Cælo solemne Sacrificium
 „offert.„

Tertio. „An Deus optimus Maximus
 „sit appellandus nomine TIEN CHU’
 „Cæli Dominus?„

„Ratio erat, quia ab omnibus Mis-
 „sionariis Sinensibus vocabulum TIEN
 „CHU’, ad significandum Deum Opti-
 „mum Maximum longo usu receptum
 „est. Et in hoc Patres, dissentire non
 „videantur.„

Quarto.

Quarto. „An attentis prædictis liceat Sæc. XVII.
„affirmare, Sinas præfatis Nominibus A. C. 1694.
„TIEN & XANG TI, intelligere
„Deum, quem Christiani colunt ?

Super secundo Articulo.

Quæsitum Primo. „An permitti possit
„appendi in Ecclesiis Christianorum Ta-
„bellam inscriptam KING TIEN: *Cælum*
„colito. „

„Ratio dubitandi erat, quia præ-
„dicta vox TIEN nunc temporis a Si-
„nensibus literatis accipitur pro Cælo
„materiali, ut supra dictum est in ra-
„tione dubitandi ad tertium quæsitum
„super primo Articulo. „

Et quatenus negative. „

Secundo. „An saltem permitti possit
„cum declaratione, & qua? „

Super tertio Articulo.

Proponetur quæsitum infra, quia
pendet a decidendis in sequentibus. „

Super quarto Articulo.

Primo. „An superstitione imbuta sint
„solemnia, quæ semel & iterum singu-
„lis annis Confucio, & Progenitoribus
„offerri solent Sacrificia, seu oblatio-
„nes: ita ut iis præesse, ministrare,
„aut interesse Christianis nullatenus,
„nullaque de causa permitti possit? „

Sæc. XVII. „Ratio dubitandi erat, respectu Con-
A. C. 1694. „fucii, quia secta Literaria, quæ pri-
 „mas obtinet in illo Imperio, Confu-
 „cium non solum uti Magistrum, verum
 „etiam uti Sanctum colere videtur. „
 „Præterea in quadam oblatione fa-
 „cienda Confucio, quæ describitur in
 „Libro, seu Rituali Sinico, TA MING
 „HOE Y TIEN, nonnullæ Orationes,
 „seu offertoria præscripta sunt, in qui-
 „bus Confucii virtus Cælo terræque
 „æquiparatur, Doctrina antiquis me-
 „dernisque præfertur: Imo ex quo ho-
 „mines esse cæperunt, nemo illum æ-
 „quasse dicitur, & quod ejus Spiritus
 „præteritos XING, seu Sanctos excel-
 „lit. Quod autem hic dicto XING
 „Sanctitatem potius, quam Sapien-
 „tiam, vel Sipientiam simul & Sancti-
 „tatem significet, infertur ex hoc, quod
 „inter illos, qui Confucium præcesse-
 „runt, & XING superius appellaban-
 „tur, comprehenduntur saltem non-
 „nulli, de quibus expressis verbis, in
 „classicis Sinarum libris dicitur, quod
 „post mortem in Cælum evolarint, &
 „in Cælis potestatem habeant favendi
 „hominibus; eosque etiam Sinenses
 „antiquitus, ut Sanctos venerati sunt,
 „& hætenus celebrant ut tales. Insu-
 „per alibi in Libris Sinicis hæc haben-
 „tur: XING JIN CHY CHY YE JU
 „IAO

„IAO, XUN, VEN VANG, CHEV Sæc. XVII.
 „KUNG, KUNG CHU. Id est, San- A. C. 1694.
 „ctorum virorum summitas: uti verbi
 „gratia, Antiquissimi Imperatores IAO,
 „& XUN, Rex VEN VANG, Prin-
 „ceps CHEV KVNG, & KVNG CHU,
 „seu Confucius. Quod vero hoc e-
 „tiam in loco dicto XING, Sanctita-
 „tem potius, quam Sapientiam signifi-
 „cet, inferri videtur ex eo, quod om-
 „nes ante Confucium hic nominati,
 „apud Sinas in suprema Sanctorum se-
 „rie ab antiquis temporibus referan-
 „tur, & ut tales ab iisdem Sinensibus
 „semper habiti fuerint, ut constat ex
 „Libris eorum classicis; licet apud Si-
 „nenses Atheos præfata dictio XING
 „in allatis textibus perfectissimum, &
 „Sapientissimum Virum, vel summum
 „perfectionis gradum, ad quem homi-
 „nes, Cælo seu natura favente, per-
 „tingere possunt, significare videatur.”

„Ipse Confucius in singulis Civita-
 „tibus ædes habet ei dedicatas, quæ
 „Gymnasia non sunt, nec Aulæ tan-
 „tum esse videntur, sed potius Capel-
 „læ; eoquod Sinice vocentur MIAO,
 „quo vocabulo Idolorum Tempa de-
 „signantur, & a nonnullis Auctoribus
 „ædes prædictæ templa, seu fana di-
 „cantur.”

Sæc. XVII. „In quibus ædibus extat effigies
 A. C. 1694. „Confucii, vel saltem Tabella cum hac
 „inscriptione: *Sedes Spiritus Sanctissimi,*
 „*vel Sapientissimi Protomagistri Confucii:*
 „quæ verbis Sinicis est hujusmodi:
 „CHI' XING SIENSU KUNG CHU'
 „XIN GOEY, ut testatur Pater a Leo-
 „nissa, qui asserit dictionem Sinicam
 „XING non significare tantummodo
 „Sanctum, sed aliquando etiam sapien-
 „tem. Alii præfatam inscriptionem, sic
 „latine vertunt: *Sanctissimi, & Super-*
 „*Excellentissimi.*„

„Mandarini, seu Governatores, ac
 „Magistratus urbium, una cum Lite-
 „ratorum Præfectis, necnon graduatis,
 „seu Doctoribus literatis bis in anno,
 „nempe circa æquinoctium Veris, &
 „Autumni ibidem solemnem oblatio-
 „nem, seu Sacrificium peragunt, in
 „quo a Ministro & assistentibus cum
 „variis genuflexionibus, & inclinatio-
 „nibus dirigente cæremoniarum Ma-
 „gistro, ante Tabellam Confucii, su-
 „pra mensam, seu Altare expositam,
 „candelis accensis, cum odorum suffitu,
 „immolati, seu immolandi Animalis
 „sanguis, ac pili offeruntur, ac deinde
 „terræ infodiuntur, itemque panni se-
 „rici, qui postea extra templum, seu
 „ædem in proximo Atrio, accenso igne
 „comburantur. Item vinum libatur,
 „occi-

„occiforum Animalium, Suis videlicet, Sæc. XVII.
 „Capræ, seu Cervi, & fimilium carnes A. C. 1694.
 „immolantur; quæ inter Affiftentes,
 „& alios peracta oblatione, seu Sacri-
 „ficio distribuuntur, & ab omnibus
 „magni fiunt, & comeduntur. Ante
 „omnia autem jam a principio, Con-
 „fucii Spiritus invitatur, ut adfit, im-
 „molatisque fruatur, veniensque ad
 „oblationem certis cæremoniis reci-
 „piatur, eique, quidquid in Sacrificio
 „geritur, tanquam præfenti, in Tabella
 „significatur. Ministris nonnullorum
 „ante Sacrificium dierum jejunia, &
 „a thoro conjugali abftinentia publico
 „ritu præfcripta funt: Hostias immo-
 „landas, fufo in earum auriculis, pro-
 „bandi cauffa, liquore quodam, feu
 „vino calido, feligunt. Oblatio inci-
 „pit post primum, aut fecundum Galli
 „cantum, & fummo mane terminatur:
 „Spiritum Confucii, finita oblatione,
 „abeuntem grato animo, ac certis ver-
 „borum formulis profequuntur; & ad-
 „ftantibus omnibus, antequam dimit-
 „tantur, ob Sacrificium bene peractum,
 „felicitates plurimæ promittuntur,
 „prout in Rituali TA MING HOEI
 „TIEN, Tomo feu tractatu 91. in de-
 „fcriptione oblationis faciendæ Confu-
 „cio, apud Patrem a Leoniffa videri
 „poffunt.„

Sæc XVII. „Præter prædictas binas solemnes
 A. C. 1694. „oblationes, aliæ minus solemnes eo-
 „dem in loco, seu quidam alii Ritus,
 „& cæremonix in ejusdem Confucii ho-
 „norem, Statutis temporibus peragun-
 „tur, tum a Magistratibus, seu Guber-
 „natoribus urbium, tum a reliquis li-
 „teratis; de quibus, etsi speciatiim a
 „Vicario Apostolico D. Maigrot mentio
 „facta non fuerit, nihilominus, quia
 „in quæsitis Patris Martini Societatis
 „Jesu, aliqua saltem exposita fuerunt,
 „hic aliud quæsitum, ad rem clarius
 „elucidandam, instituitur. „

Secundo igitur quæritur. „An Cære-
 „monix, Ritus, & oblationes minus
 „solemnes, quæ fiunt in honorem ejus-
 „dem Confucii, a Christianis licite
 „exerceri, & peragi possint in loco
 „præfato? „

„Ratio dubitandi præter prædicta
 „in præcedenti ratione ad primum est,
 „quia bis singulis mensibus, in novi-
 „lunio scilicet, & plenilunio cujuscun-
 „que Urbis Mandarinus, seu prima-
 „rius Magistratus, aliique Officiales &
 „literati summo mane ædem, seu Tem-
 „plum Confucii magna cum pompa
 „adeunt, & ante ejus effigiem, seu
 „Tabellam, accensis cereis, cum Thu-
 „ris, atque odorum suffitu, repetitis
 „vicibus genuflectunt, toto corpore
 „pro-

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

„prostrati, ac terram fronte percutien-
 „tes. Item quandoque, præsertim in
 „novilunio, ab aliquibus vinum, &
 „olera quædam, ac fructus offerri so-
 „lent. Mandarinini, seu Governatores
 „urbium, ac Magistratus, antequam
 „dignitatem adeant, seu statim post
 „aditam dignitatem, seu dignitatis pos-
 „sessionem, ad Templum, seu ædem
 „Confucii pergunt, ibique ante ejus
 „effigiem, seu Tabellam, eadem per-
 „agunt, quæ fieri ab eis in novilunio,
 „ac plenilunio modo dictum est; non
 „tamen vinum, olera, nec fructus of-
 „ferunt. „

„Præterea literati, postquam in
 „amplissimo Gymnasio, seu Palatio,
 „ubi per aliquos dies probantur, gra-
 „dus Literarios adepti sunt, statim ad
 „ædem, seu Templum Confucii se con-
 „ferunt, ibique coram prædicta Ta-
 „bella cereis accensis, cum Thuris,
 „atque odorum suffitu, iteratis vicibus
 „genusflectunt, toto corpore ad terram
 „prostrati, prout in aliis proxime rela-
 „tis ritibus, seu oblationibus minus
 „solemnibus. Hæ vero in honorem
 „Confucii oblationes tum solemniores,
 „tum minus solennes, seu ritus præ-
 „fati, ita Sinensium Imperatorum Le-
 „gibus, publicoque Regni usu stabiliti
 „sunt, ut non liceat eos omittere, sal-

Sæc. XVII. „tem absque gravi periculo, respective
A. C. 1694. „amissionis Mandarinatus, graduum,
 „aut dignitatum.„

„Respectu vero progenitorum, ra-
 „tio dubitandi circa solemnes oblatio-
 „nes, quæ in primo quæsito propo-
 „nuntur, est, quia Sinæ defunctos Pa-
 „rentes, seu Progenitores, saltem us-
 „que ad quartum gradum, publico,
 „ac singulari cultu prosequuntur; ædes
 „eis dedicant, quæ potius Capellæ, &
 „Templa, quam simplices Aulæ vi-
 „dentur esse, tum ex his, quæ in eis
 „geruntur, tum ex nomine MIAO,
 „quo Imperialium, aliorumque Imperii
 „Procerum, progenitorum defuncto-
 „rum ædes, ex antiquissima institutio-
 „ne vocantur: quo pariter nomine e-
 „tiam Idolorum templa communiter
 „designantur, ut supradictum est; &
 „Animalium quoque sanguine ex an-
 „tiquissimo ritu in Rituali LI KI præ-
 „scripto, uti etiam oblationum, seu
 „Sacrificiorum vasa, quæ nulli usui
 „extra templa prædicta applicari licet,
 „dedicari solent: Vestes vero, quibus
 „Proceres, ac præsertim Imperatores
 „uti solent, in præfatis oblationibus
 „speciali ritu in eodem LI KI præscri-
 „pto, fieri debent; ac consumptæ, ob-
 „soletæque cremari, ne profanis usibus
 „inserviant.„

„Cæte-

Sæc. XVII.
A. C. 1694.

„Cæterorum autem progenitorum
 „defunctorum ædes, licet non MIAO,
 „sed CHU TANG appellentur, in re
 „idipsum significare, & ad eosdem cul-
 „tus erga defunctorum præfatorum Spi-
 „ritus exhibendos destinari videntur,
 „quia tam in ædibus CHUNG MIAO
 „dictis, quam in CHU TANG nuncu-
 „patis, imagines, seu Statuæ Prima-
 „riorum Progenitorum reperiuntur, aut
 „saltem, & communiter ubique Ta-
 „bellæ Progenitorum asservantur supra
 „mensam, vel Altare cum hac subscri-
 „ptione: *Sedes Spiritus N. Defuncti Pro-*
 „*genitoris.*„

„Quæ quidem Tabellæ, saltem his
 „temporibus, ideo fieri videntur, ut
 „non tantummodo loco Spirituum, seu
 „defunctorum adhibeantur; sed etiam,
 „ut iidem Spiritus, seu defunctorum
 „Animæ quodammodo in eis resideant:
 „quia eo tempore, quo defuncti Pro-
 „genitores sepeliuntur, quo etiam ea-
 „rumdem Tabellarum incipit usus, in
 „ipsomet Sepulturæ loco, ut ex Ri-
 „tuali Sinico KIA LY nuncupato con-
 „stat, ad dictas Tabellas, flexis geni-
 „bus, & expressis verbis, Spiritus,
 „seu Animæ præfatæ invitantur, ut in
 „illis resideant, & domum revertantur:
 „quo facto eædem Tabellæ solemniter
 „domum deferuntur, ac statuto tem-
 „pore

Sæc. XVII. „pore in ædibus præfatis, etiam fo-
 A. C. 1694. „lemniter collocantur. Dicitur etiam
 „in dicto Rituali, quod, quando in
 „præfatis Tabellis aliquæ literæ mu-
 „tandæ, vel addendæ sunt (quod qui-
 „dem fit, quando in ædes præfatas
 „novæ Tabellæ introducuntur, & an-
 „tiquæ, seu priores ad gradum supe-
 „riorem transeunt, juxta ordinem Con-
 „sanguinitatis, vel quando ab Impe-
 „ratore nova Dignitas, seu Dignitatis
 „titulus aliquibus Progenitoribus de-
 „functis, juxta Regni morem confer-
 „tur, qui Tabellis inscribendus est)
 „aqua madefiant, ut abradi possint, &
 „abrafis lotisque, lotionis aquâ in æ-
 „dis, seu Templi parietem projiciatur:
 „quæ cæremonia summam Sinensium
 „reverentiam erga easdem Tabellas in-
 „dicare videtur. Item in eodem Ri-
 „tuali dicitur, quod transacto quarto
 „Consanguinitatis gradu, quando sci-
 „licet in ædibus, seu Templis præfatis
 „dictas Tabellas asservari amplius non
 „licet, hujusmodi Tabellæ terræ infodi
 „debeant respectivè, vel in propriis Se-
 „pulturis eorundem Progenitorum, vel
 „in parte anteriori ædis, seu prope ja-
 „nuam: antiquitus autem ab ædibus
 „CHUNG MIAO nuncupatis, ad alias
 „ædes transferri solebant, ibique asserv-
 „vari, & recondi, & in Rituali KIA LY
 „di-

„dicitur, quod Imperator, & Imperii Sæc. XVII.
 „Proceres id faciant. Ad easdem Ta- A. C. 1694.
 „bellas, vel ad loca, & sedilia, seu
 „menfas, in quibus dictæ Tabellæ e
 „suis Tabernaculis cum speciali reve-
 „rentia extractæ, expositæ jam sunt,
 „si adhiberi debeant, eorumdem Pro-
 „genitorum Spiritus, seu Animæ, præ-
 „sertim solemnium oblationum tempore,
 „invitantur, ut descendant, & in eis
 „maneant: quod quidem fit, vel ex-
 „pressis verbis, ut constat ex Formula
 „descripta in Rituali KIA LY, ubi de
 „oblationibus faciendis, primis fami-
 „liarum Progenitoribus XY CHU, &
 „SIEN CHU nuncupatis, qui jam
 „quartum gradum ascendentis præces-
 „serunt, fit sermo, quæ formula in me-
 „dio ædis, seu Templi ante vas ibidem
 „cum carbonibus accensis positum,
 „flexis genibus, a Primario oblationis
 „Ministro recitari debet; eaque recitata
 „super eisdem Carbonibus cum speciali
 „cæremonia, Animalis, seu victimæ
 „pinguedo ponitur, seu effunditur, ut
 „vapor ascendat; vel saltem, & sem-
 „per cum Cæremonia effundendi vi-
 „num super palarum manipulum,
 „quæ KIANG XIN, id est, descensus
 „Spirituum in eodem Rituali appella-
 „tur, quæque pariter cum solemnitate,
 „& reverentia magna ordinarie fieri
 „de-

Sæc. XVII. „debet, in medio Templi, seu ædis
A. C. 1694. „ante mensam, seu Altare, ubi odores
 „cremantur, quæ HIANG CHO, id
 „est odorum mensa vocatur: ibique
 „postea fit alia similis Cæremonia ef-
 „fundendi vinum, quæ vocatur CHY,
 „id est oblatio, quæ loco Spirituum
 „fit (fierique dicitur antiquis vini In-
 „stitutoribus, seu Inventoribus) item-
 „que Progenitores, seu Progenitorum
 „Spiritus invitantur, ut oblatis fruan-
 „tur, seu frui velint, ut in eodem Ri-
 „tualis præscribitur, de eodem descen-
 „su, seu adventu Spirituum, etiam
 „Progenitorum defunctorum, & de
 „fruitione, seu acceptatione oblatorum
 „pluries fit mentio in libris antiquis, &
 „aliis ritualibus Sinicis. Unde multi
 „Sinenses eosdem Progenitorum Spi-
 „ritus cæremoniis supradictis invitatos
 „venire, & frui putant, aut credunt.
 „Non pauci tamen ad imaginariam,
 „vel dubiam potius, quam realem Spi-
 „rituum præsentiam, adventum, &
 „fruitionem hæc omnia (ut etiam ex
 „Libris, & Ritualibus Sinicis colligi-
 „tur) reducere videntur, Confucius
 „vero in libro LUN YU ait: CHI JU
 „CHAY: CHI XIN JU XIN CHAY,
 „id est, offerendum, seu sacrificandum
 „est, veluti adessent: scilicet illis, qui-
 „bus offertur, offerendum, seu sacrifi-
 „can-

„candum est Spiritibus, veluti Spiri- Sæc. XVII.
 „tus adefsent, seu existerent. Statu- A. C. 1694.
 „tis autem anni temporibus in iisdem
 „locis, seu Templis præfatorum Pro-
 „genitorum defunctorum spiritibus so-
 „lemnes oblationes, seu Sacrificia of-
 „feruntur, ad quæ tantummodo cu-
 „jusque familiæ Viri, ac Mulieres re-
 „spective conveniunt, ac earumdem
 „familiarum Primogeniti ex lege de-
 „bent primaria officia in dictis oblatio-
 „nibus exercere; qui etiam propriis
 „manibus Animalia offerenda occidunt,
 „in locis, ac cæremoniis in Ritualibus
 „pro personarum qualitate respective
 „præscriptis: omniaque peraguntur
 „eodem fere ritu, mutatis mutandis,
 „qui supra in oblationibus solemnibus,
 „Confucio exhibitis, descriptus est. In
 „Templis, seu ædibus CHU TANG
 „nuncupatis, juxta Rituale KIA LY,
 „serica non offeruntur, nec in eodem
 „fit mentio illius Papyraceæ monetæ,
 „quæ nunc temporis in omnibus obla-
 „tionibus, quæ Progenitoribus defun-
 „ctis a gentilibus fieri solent, creman-
 „tur: eoquod hæc Cæremonia non fit
 „propriæ sectæ Literariæ: neque in
 „sine oblationis illa verborum formula
 „præscribitur, qua in superioribus ob-
 „lationibus abeuntes Spiritus prose-
 „quuntur; sed tantum ad id quædam
 „in-

Sæc. XVII. „inclinationes, & prostrationes facien-
 A.C. 1694. „dæ referuntur, quibus peractis, Ta-
 „bellæ, si adhibitæ, & expositæ fue-
 „rint, in locum suum reportantur, &
 „in Tabernaculis reponuntur; necnon
 „Progenitorum nomine, seu de man-
 „dato eorundem, ut in Rituali KIA
 „LY dicitur, a Magistro Cæremonia-
 „rum, Ministris primariis, & implicite
 „adstantibus omnibus plurimæ felici-
 „tates promittuntur: & antequam
 „fiant, nonnullæ ex prædictis solempni-
 „bus oblationibus, fortibus cum spe-
 „ciali Cæremonia, ante januam ædis,
 „seu Templi CHU TANG, eligitur
 „dies; & de felici electione monentur
 „pariter speciali ritu in eadem æde,
 „seu Templo Progenitores defuncti,
 „seu eorundem Spiritus, ut videre est
 „in dicto Rituali: in quo etiam dici-
 „tur, quod omnes oblationes CHI con-
 „sistant tantummodo, seu principaliter
 „in totali soliditate, & perfectione a-
 „moris, & reverentiæ. Et ideo pau-
 „peres juxta paupertatem suam, in-
 „firmi juxta vires suas, in illis facien-
 „dis se gerunt: qui vero divitiis, &
 „viribus abundant, juxta præscriptos
 „ritus eas peragunt.,

„Preces vero, licet ex antiquissimo
 „Ritu in Libro, seu Rituali LY KY,
 „tantummodo certis temporibus, seu
 „pro

Sæc. XVII. „rendorum destinatis, Imperii urbium
 A. C. 1694. „Præfctis de mandato Regio injun-
 „ctum sit, ut omnem curam adhibeant,
 „Populisque idipsum suadeant; eoquod
 „ad felicitates pro eisdem Populis pe-
 „tendas in dictis oblationibus offerri
 „debeant. Item ex classicis Ritualibus
 „plura referuntur, unde deduci vide-
 „tur, Sinenses non tantum a XANG
 „TI, aliisque Spiritibus, Montium sci-
 „licet, Fluminum &c. verum etiam a
 „Spiritibus defunctorum felicitates plu-
 „rimas concedi, ob præfatas oblatio-
 „nes bene peractas, docuisse, & cre-
 „didisse ab antiquo tempore, aut sal-
 „tem finxisse. „

„Qui vero Atheisticam Doctrinam
 „profitentur, & sequuntur, licet eo-
 „rumdem Spirituum existentiam ne-
 „gent, tamen quadam motione Sym-
 „pathica, per dispositionem Ministris
 „ad sacrificandum, vel offerendum
 „præscriptam cæli aerem tenuissimum,
 „in quem defunctorum Spiritus resolvi
 „asserunt, conciliari, ac moveri, &
 „quodammodo attrahi ad oblationem
 „insinuant; unde beneficos influxus,
 „erga offerentes, adstantesque proma-
 „nare docent. Quod infertur etiam
 „ex iis, quæ habentur in extractis ex
 „libro, cui titulus: *Confucius Sinarum*
 „*Philosophus, & per Patres Societatis*
 „ite

„iterum impressus, ac in parvo libello *Sacr. Sæc. XVII.*

„Congregationi oblatas. Tandem præ- A. C. 1694.

„fati Athei, prout antiqui omnes, sub
„nomine QUEI XIN, Spiritus omnes,
„etiam defunctorum, dum generice
„eos designare, vel nominare volunt,
„comprehendunt, & de præfatis QUEI
„Xin generice multa præclara refe-
„runt; sicque Populis erga illos timo-
„rem pariter, & honorem suadent. „

„Præter prædictas solemnes obla-
„tiones, quæ fiunt in honorem Pro-
„genitorum, aliæ etiam minus solem-
„nes oblationes, necnon alii Ritus,
„ac Cæremonix, eisdem in ædibus,
„seu Templis, diversis anni tempori-
„bus, præsertim prima die anni Sinici,
„in Solstitiis, ac singulis mensibus, in
„novilunio scilicet, & plenilunio, in
„honorem eorundem defunctorum
„fieri solent, de quibus, licet Vicarius
„Apostolicus D. Maigrot specificam
„mentionem non fecerit, expedire vi-
„detur, ob rationem supra allatam,
„ubi de oblationibus minus solemnibus
„Confucio fieri solitis agitur, ut etiam
„speciale quæsitum hic instituatur,
„unde. „

Tertio. „An Christianis liceat in
„præfatis ædibus, seu Templis supra-
„dictas oblationes minus solemnes of-
„ferre, in eis ministrare, seu quomo-

Sæc. XVII. „dolibet infervire, necnon alios Ritus,
 A. C. 1694. „& Cæremonias peragere ?

„Ratio dubitandi, præter ea, quæ
 „dicta sunt in superiori ratione, ad
 „quæsitum respectu præfatorum defun-
 „ctorum, est, quia supradiçtis tempo-
 „ribus uniuscujusque familiæ personæ
 „utriusque sexus, ad quas juxta præ-
 „scriptum in Ritualibus Sinicis, ac
 „præcipue in Rituali KIA LY, ex offi-
 „cio spectat, summo mane debitis, ac
 „speciosis vestibus indutæ, ædes Pro-
 „genitoribus dicatas, ac pridie pro-
 „more ornatas, respective adeunt; in
 „eis coram Tabellis eorundem Proge-
 „nitorum, post abluitionem manuum,
 „cum variis inclinationibus, & genu-
 „flexionibus, e Tabernaculis per Mi-
 „nistros designatos extractis, & super
 „mensam, seu Altare collocatis, cereis
 „accensis, odores & thura cremantur,
 „vinum libatur, & super pælearum
 „manipulum effunditur (quæ cære-
 „monia indicat descensum Spirituum)
 „fructus varii, ac potio CHA dicta of-
 „fertur, seu apponitur coram qualibet
 „ex eisdem Tabellis; ac tandem cum
 „aliis genuflexionibus, & inclinationi-
 „bus, Spiritibus abeuntibus quodam-
 „modo vale dicitur. „

„In plenilunio vero juxta ea, quæ
 „habentur in Rituali KIA LY, Cære-
 „monia

„monia extrahendi Tabellas e Taber- Sæc. XVII.
 „naculis non fit, vinum non apponitur, A. C. 1694.
 „sed fructus, & potio CHA: cætera,
 „ut in novilunio, peraguntur.,

„Insuper diebus quasi singulis, &
 „in certis casibus, coram Tabellis præ-
 „fatis, ab his, ad quos spectat, incli-
 „nationes, & prostrationes variæ fiunt,
 „odoresque quandoque cremantur, ce-
 „reis accensis.,

„Tandem, qui sunt tenuioris for-
 „tunæ, ut non habeant ædes, seu
 „Templa Progenitoribus defunctis di-
 „cata, in domibus privatis coram Ta-
 „bellis eorumdem, in supradiçtis anni
 „temporibus respective, accensis can-
 „delis, cum Thuris, seu odorum suf-
 „fitu offerunt, seu apponunt carnes,
 „vinum, potionem CHA, fructus, &
 „alia hujusmodi: genuflexionibus, seu
 „inclinationibus etiam adhibitis, mi-
 „nori tamen cum solemnitate, Sinæ
 „enim domi communiter habent locum
 „aliquem tanquam lalarium, ubi diçtas
 „Tabellas cum solita inscriptione asser-
 „vant, easque singulis diebus sæpe sa-
 „lutant, ac certis temporibus, uti di-
 „çtum est, coram eisdem Ritus, ac
 „cæremonias præfatas peragunt.,

„Item Sinenses fere omnes Sepulc-
 „ra eorumdem Progenitorum, quæ in
 „Montibus, seu locis præaltis extra

Sæc. XVII. „mænia sunt, semel in anno adeunt,
 A. C. 1604. „ibi oblationem faciunt, apponendo
 „scilicet Carnes, vinum, fructus, po-
 „tionem CHA, & alia hujusmodi cum
 „solitis genuflexionibus, & inclinatio-
 „nibus, aliquando autem solemnus
 „hæc omnia peragunt, juxta Ritus ac
 „vires; adhibita etiam cæremonia ef-
 „fundendi vinum, quæ, ut supra
 „KIANG XIN vocatur: herbas etiam,
 „& gramina circa Sepulturas nata e-
 „radicant, purgant, plorant, mox fi-
 „nitis lacrymis, oblatis vescuntur.,

„Alias insuper oblationes, tum so-
 „lemnes, tum minus solemnæ, Sinen-
 „ses facere solent mortuis Progenitori-
 „bus, præsertim a die obitus, usque
 „quo Sepulturæ tradantur: quæ, ex-
 „cepta circumstantia Templi, seu ædis,
 „necnon vestium speciosarum (quia
 „lugubribus vestimentis eo tempore
 „utuntur) in cæteris cum supradictis
 „respective concordant. Et ideo.

Quarto. An Christianis liceat, præ-
 „fatas oblationes, Ritus, ac cæremo-
 „nias coram supradictis Progenitorum
 „Tabellis, in privatis domibus, vel e-
 „tiam in eorundem Progenitorum Se-
 „pulchris, aut antequam defuncti præ-
 „dicti Sepulturæ tradantur, in eorum
 „honorem fieri consuetas, unacum gen-
 „tili

„tilibus, vel seorsim peragere, eisque ministrare, aut interesse?

Sæc. XVII.

A. C. 1694.

Quinto. An Christianis liceat, præfatas omnes oblationes, tum solemniores, tum minus solennes, necnon alios Ritus, ac cæremonias, tam in ædibus, seu Templis defunctorum, quam domi, & in Sepulchris, prout supra relatæ sunt, peragere, aut eis simul cum gentilibus interesse, vel in eis ministrare, saltem præmissa publica, vel secreta protestatione, eos non religioso, sed civili tantum, ac publico cultu, erga defunctos Progenitores, hæc omnia præstare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Sexto. An liceat, seu permitti possit Christianis, easdem omnes oblationes respective in locis supradictis, vel saltem domi, ac in defunctorum Sepulchris, seorsim, vel etiam cum gentilibus offerre; aliosque Ritus, ac cæremonias peragere, sublatis omnino superstitionis, vel superstitionis speciem præferentibus; hoc est, ea tantummodo offerendo, quæ juxta Regni morem vivis offerri solent; & cum Cæremoniis, ac Ritibus erga vivos fieri, vel adhiberi solitis? & an hoc saltem liceat, præmissa, seu adhibita supradicta protestatione?

Sæc. XVII.

A. C. 1694

„Ratio est, quia nisi hæc saltem
 „Sinensibus Christianis permittantur,
 „valde timendum est, ne, qui Chri-
 „stiani jam sunt, Christianam religio-
 „nem penitus abjiciant; & qui nondum
 „illam susceperunt, imposterum nullate-
 „nus amplectantur; imo in Christianos,
 „tandem in Patriorum Rituum, erga
 „defunctos Progenitores, desertores ac
 „destructores insurgant; eosque, ac
 „Missionarios omnes, minis ac perse-
 „cutionibus exagitent, & a Regno pe-
 „nitens excludant.,

„Ita, quod ad factum pertinet,
 „testatur Pater Joannes Franciscus de
 „Nicolais a Leonissa, Vicarius Apo-
 „stolicus *Hu' Quanng*, Episcopus Beri-
 „tensis; apud quem sunt Ritualia, aut
 „textus allegati, eaque exhibuit, &
 „interpretatus est.,

Super quinto Articulo.

Quæsitum primo. „An Christianis per-
 „mitti possit, dictas Tabellas Progeni-
 „torum in privatis domibus retinere,
 „cum inscriptione: XIN CHU' 'XIN
 „GOEI, LING GOEI, id est: *Thronus*
 „*seu Sedes Spiritus, seu Animæ N. de-*
 „*functi.*.,

„Et quatenus negative.

Secundo. „An saltem abrasa ea in-
 „scriptione solummodo defuncti nomine
 „in.

„inſcripto, aut ad ſummum ſuperad-
 „dita litera GOEI, Sedes ſeu Thronus.
 „Et quatenus negative.

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.

Tertio. An ſaltem cum declaratione,
 „qua declaretur, quæ ſit Chriſtiano-
 „rum de defunctis fides, & qualis filio-
 „rum, ac nepotum in Progenitores
 „pietas eſſe debeat? „

„Hic quæritur, quid decernendum
 „ſit circa tertium Articulum ſupra omiſ-
 „ſum, tenoris ſequentis? „

„Quæſita ſuper capitibus inter hu-
 „juſce Miſſionis Operarios controverſis,
 „ſummo Pontifici Alexandro VII. pro-
 „poſita, multis in rebus non eſſe veri-
 „dica declaramus: ac proinde Miſſio-
 „narios, reſponſis ab Apoſtolica ſede,
 „recte quidem, & ſapienter, ac juxta
 „circumſtantias in dubiis expreſſas da-
 „tis, inniti non poſſe, ad uſitatum a-
 „pud Sinas Confucii, & Progenitorum
 „cultum permittendum.

Super ſexto Articulo.

Quæſitum, quid decernendum ſit ſu-
 „per ſexto Articulo præfati Edicti D.
 „Maigrot, tenoris ſequentis? „

Cum nonnulla, ſeu verbo, ſeu ſcripto
evulgari animadverterimus, quæ incautos
in errorem inducunt, & viam ad ſuperſti-
tionem pateſciunt, verbi gratia: Philoſo-
phiam, quam Sinæ profitentur, ſi bene

Sæc. XVII. intelligatur, nihil habere legi Christianæ
A. C. 1694. contrarium:

Nomine TAI KIE, Sapientissimos
Priscos Deum causam primam rerum om-
nium definire voluisse:

Cultum, quem Confucius Spiritibus
adhibuit, civilem potius, quam Religiosum
fuisse:

Librum, quem Sincæ IE KING ap-
pellant, summam esse optimæ Doctrinæ
Physicæ, & moralis.

Hæc, & similia, uti falso, temere,
& scandalose dicta, scriptave districtè in-
hibemus, ne in toto Vicariatu nostro dis-
seminentur.

Super septimo Articulo.

„An sit approbandum, quod D. Maig-
rot disponit in septimo Articulo, te-
noris sequentis?

Caveant Missionarii, ne qui Christiani
Sinicos Libros in Scholis legunt, Atheis-
mum, & diversas superstitiones, quibus
illi Libri tam in textu, quam in Commen-
tariis scatent, in Auditorum animos in-
fundant; sed illos Missionarii admoneant,
ut obvios errores refutent; & errorum oc-
casionem, quæ de Deo, de Mundi creatione,
& gubernatione Christiana Religio tradit,
discipulos diligenter edoceant; atque eosdem
Christianos Missionarii frequenter commone-
faciant, ne (quod facile contingit) suis in-
scri-

scriptionibus aliquid a Scholæ Literariæ Sæc. XVII.
principiis legi Christianæ contrarium ad- A. C. 1694.
misceant.

Equidem horum quæstionum examen jam sub Innocentio XII. inchoatum est, sed præmissa diuturna, matura, ac diligentissima discussione, habitisque pluribus Congregationibus primum sub Clemente XI. Papa Theologorum responsa fuerunt audita, ac demum de super ejusdem Pontificis decretum Anno 1704. die vigesima Novembris promulgatum.

§. LXVI.

Catholica fides in Persarum Regno plurimum audita.

Inter tot barbararum adversitatumque procellas, quibus Innocentii XII. Pontificis animus identidem jactabatur, amœnior lætitiæ aura adspirabat, dum eidem nuntiatum esset, quod Insulæ Bazani Rex in Africa unacum tota sua familia Catholicam religionem amplexatus, a Lusitano Rege Viros Apostolicos petierit, qui pariter populum hunc Christianorum Sacris instituerent: Augebatur Pontificis gaudium, dum acceptis undique literis inaudierat, quod in Persarum Regno, strenue adlaborantibus Carmelitis Discalce-

Theatr. Europ. t. 4.
Bull. Carm. t. 3. p. 620.
Enchyrid. Chron. Carmel. p. 416.

Sæc. XVII. calceatis, fides Catholica insigniter
 A. C. 1694. augeretur: ipse enim Scáh - Abbas II.
 Persarum Rex jam dudum Armenis,
 Græcis, Nestorianis, aliisque sectis
 tolerantiae beneficium indulserat, ac
 neminem ob Religionis diversitatem mo-
 lestari permiserat, asserens, solum Deum
 esse conscientiarum Dominum, sibi vero
 nonnisi Regni sui administrationem esse
 commissam, seque omnibus cujuscun-
 que Religionis subditis suis, qui æqua-
 liter Regni membra essent, jus suum
 tribuere, obstrictum esse: Præprimis
 vero singulari patrocínio, atque affectu
 prosequeretur Catholicos, cunctosque
 hujus Religionis Viros Apostolicos:
 Postquam vero hic Rex anno hujus
 sæculi sexagesimo sexto die vigesimo
 quinto Septembris mortalitatem exue-
 rat, ejus Filius Sephi - Mirza seu Scháh-
 Solimanus Patris sui vestigia premens,
 Catholicis plenam suæ Religionis liber-
 tatem indulsit, eo autem hoc anno die
 nona Augusti fatis functo Ussainus ejus
 Filius Regni coronam, quam ipsemet
 manibus præripuit, præter hujus gen-
 tis morem capiti suo imposuit, prote-
 status, nullum se huic officio præstando
 parem, magisque dignum inveniri:
 Hic idem Sophus seu Imperator liber-
 tatem Catholicis a suis Majoribus in-
 dultam confirmans, haud parum con-
 tulit,

tulit, ut religio Catholica indies nova Sæc. XVII.
 caperet incrementa, ringentibus licet A. C. 1694.
 Armenis schismaticis, juratis Catho-
 licorum hostibus, qui tam uberes fidei
 progressus indignati, virulenta contra
 Missionarios consilia agitarunt, atque
 Regis Ministros magno pretio impule-
 runt, ut ab Imperatore extorquerent
 decretum, vi cuius Patres Carmelitæ
 Discalceati ex Giulfæ suburbio, ac de-
 mum toto Imperio ejicerentur, sicque
 percussis Pastoribus eo facilius cunctæ
 dispergerentur oves: Attamen Impe-
 ratoris patrocínio, ac Episcopi conatu
 factum, ut tum schismatici operam &
 pecunias perderent: inde erecti Catho-
 lici summis precibus a Pontifice pete-
 bant Episcopum, quem haberent in
 rebus fidei Magistrum, atque in ad-
 versis Protectorem: præ ceteris autem
 Armeni Catholici tum Romæ agentes,
 Eliam a S. Alberto Carmelitam Discal-
 ceatum, qui jam per quatuordecim
 annos Orientali Missioni præerat, po-
 stularunt. Horum petitio arrisit Inno-
 centio summo Pontifici, qui hunc Pa-
 trem Eliam in Episcopum Haspahamen-
 sem nominavit. Aucto autem schis-
 maticorum odio Stephanus eorum
 Pseudo - Archiepiscopus Regi libellum
 calumniis in Episcopum eique subditos
 effusis scatentem porrexit, auroque
 undi-

Sæc. XVII. undique corraſo per Miniſtros manda-
A. C. 1694. tum extorſit, vi cujus omnes Miſſionarii
 a ſuburbio ejicerentur: Quamprimum
 Pſeudo - Archiepiſcopus ejusmodi edi-
 ctum impetraverat, mox furore plus-
 quam Ethnico Catholicorum Eccle-
 ſiam vaſtabat, atque ipſius Epifcopi
 Catholici exilium a toto Perſarum Do-
 minio obtinere nitebatur: In tantis re-
 rum anguſtiis Miſſionarii nil magis ex-
 peditum cenſebant, niſi ut ad ſummi
 Pontificis opem recurrerent. Nec eis
 defuit Innocentius, qui anno ſequenti
 die vigefima octava Januarii ad Perſa-
 rum Regem has dedit literas:

*Illuſtris ac Potentiſſime Rex ſalutem,
 & lumen Divinæ gratiæ.*

„Inter eximias, magnoque Rege
 „dignas dotes, quibus inſignitur Celfi-
 „tudo tua, principem ſibi vindicare
 „locum, clementiam, qua Catholicæ
 „fidei cultores reſpicias, ſatis ſuperque
 „notum, exploratumque habemus.”

„Quia vero ejusdem fidei propaga-
 „tio Noſtrorum ſumma votorum eſt,
 „ab ipſamet Clementia tua enixe peti-
 „mus, ut Patribus Carmelitis Diſcal-
 „ceatis, ac præſertim Venerabili Fratri
 „Eliæ Aspahan celeberrimæ Regiæ tuæ
 „Epifcopo, quem ſummopere tibi com-
 „men-

„mendamus, liberam facultatem tri-
 „buas redeundi ad urbem, uti vo-
 „cant, Jusam, a qua instante Archie-
 „piscopo Armeno schismatico, disce-
 „dere coactos fuisse intelleximus, in-
 „dicta illis gravi poena, si reverten-
 „teur. „

Sæc. XVII.

A. C. 1694.

„Firmam autem in spem venientes
 „affensurum te petitioni Nostræ Celsitu-
 „dini tuæ cum ad perfectam veræ fidei
 „agnitionem, tum ad omnem rerum
 „secundarum prosperitatem Dominum
 „Dominantium, qui in Cælis habitat, &
 „a quo bona cuncta procedunt, propi-
 „tium, faventemque impense preca-
 „mur. „

Ceterum nonnisi biennio post Epi-
 scopi, ceterorumque expulsorum revo-
 catio ad pristinam sedem, sub Salo-
 mone novo Rege cum honore publico,
 ac majori, qua posset, celebritate
 facta est.

§. LXVII.

*Contentio inter Jesuitas circa pro-
 babilitatem.*

Jam dudum Thyrsus Gonzalez Hispa-
 nus Jesuita ægerrime ferebat, quod
 falsa ac perniciosa opinio de licito cu-
 juscunque probabilitatis usu toti So-
 cietati tanquam propria imputaretur:

*Dupin Bibl.
 nouv. i. 18.*

pag. 300.

Hist Cont.

Chronol. l. 12.

ad pag. 471.

Sæc. XVII. ad eluendam igitur hanc maculam nil
 A. C. 1694. aptius fore censebat, quam si eandem
 hanc doctrinam edito libro impugna-
 ret: Huic labori, dum a Missionum
 exercitio vacaverat, manum admovit
 anno hujus sæculi septuagesimo primo,
 ac quinquennio post in Salmanticensis
 Academiæ Professore renuntiatus,
 librum sub titulo: *tractatus Theologicus
 de recto usu opinionum probabilium* con-
 scripsit, quem postea plurimum au-
 xit: Prospexerat sociorum invidiam
 inde in caput suum conflare; quapro-
 pter Pauli Olivæ tum supremi Socie-
 tatis Moderatoris patrociniū, quo
 tutus esset, quærere, eidemque suum
 librum nuncupare sategit: Ast motis
 difficultatibus pene innumeris librum
 suum, perinde acsi adulterinus esset
 partus, in publicam lucem edendi fa-
 cultatem obtinere nunquam poterat:
 domestico igitur patrociniū frustratus,
 ex Hispania Romam ad Innocentium XI.
 Papam missis literis convolabat, spe
 fretus, hunc Pontificem utpote laxio-
 ris doctrinæ hostem, absdubio patro-
 cinaturum libro, quo acriter impugna-
 rentur errores, quos ipsemet anno vix
 elapso Apostolica sua Constitutione
 damnasset (*). Nec sua eum spes fe-
 fellit;

(*) Anno 1679. Innocentius XI. sexaginta
 quinque proscripserat propositiones, ex quibus
 primæ de probabilitate agebant.

fellit; quippe Pontifex Thyrsi literas Sæc. XVII.
A. C. 1694.
 benignis oppido oculis perlustratus, Societatis Præposito injunxit, ut illorum Zelo, qui probabilitatis monstrum infectarentur, nullatenus sese opponeret: Prævaluit tum Præpositi auctoritas; postquam vero, Paulo Oliva fatis functo, Thyrsus in totius Societatis Rectorem anno supra millesimum sexcentimum octogesimo septimo electus fuerat, mox librum suum Romæ publici juris fecit: inde vero tota Societate in Generalem suam commota, mox Provinciarum Agentes ceterorum nomine præter ordinem generalia comitia haberi postularunt, in quibus abs dubio Thyrsus libertatis, dignitatisque suæ jacturam fecisset, nisi Innocentii XII. Pontificis auctoritas animique constantia obstitisset: Hic enim edito decreto (*) corruptelas hucusque Societatis decori infestas tolli iussit, ac Thyrso præcepit, ut suis interdiceret, ne pro opinione minus probabili calamos suos exercerent, nec oppositam impugnarent sententiam: Hoc decreto

(*) Hoc decretum esse apocryphum, ac forte in armario, in quod decreta apocrypha rejiciuntur, reputata fuisse, facilitate nimia scribit Josephus Graviña Jesuita.

Sæc. XVII. decreto tutus Generalis, sequens de-
 A. C. 1694. cretum edi jussit: *Cum relatum esset ad
 Congregationem, aliquos ea persuasione
 esse, quod Societas communibus quasi Stu-
 diis tuendam sibi sumpisset eorum Docto-
 rum sententiam, qui docent, in agendo li-
 citum esse sequi opinionem minus probabi-
 lem faventem libertati relicta probabiliore
 stante pro præcepto, declarandum censuit
 Congregatio, Societatem nec prohibuisse,
 nec prohibere, quominus contrariam sen-
 tentiam tueri possent, quibus ea magis pro-
 baretur, postea his severe inhibuit, ne
 deinceps negotiationibus vacarent,
 moribundos ad testamenta in Societa-
 tis favorem condenda nec pellicerent,
 in Principum aulis & cubiculis nec
 vescantur, nec pernoctent, aut mo-
 rentur: Adversus hoc præceptum in-
 surgebant focii, tradito libello supplici,
 cujus tenorem Papa in Sacra Congre-
 gatione discuti jussit, unanimem ta-
 men decisionem, Cardinalium animis
 in diversa abeuntibus, obtinere haud
 poterat, nihilominus tamen comitia
 mox dissolvi præcepit, hancque con-
 troversiam in Generalis favorem com-
 positam esse Principum Legatis signi-
 ficari jussit. Inde Thyrsus ingenti per-
 fusus lætitia, summo Pontifici obortis
 lacrimis grates egit, protestatus, se
 nunc primum per Apostolicam hanc
 deci-*

decisionem in Societatis Generalem Sæc. XVII. A. C. 1694.
 fuisse electum, postea summis precibus efflagitabat, ut ulterius potenti suo auxilio Societati adesse dignaretur, utpote quæ extremo suo excidio nimis vicina esset, cum Socii duntaxat in Europa Principum favoribus, & in Oriente divitiis inhiarent, neglecta propriæ & alienæ salutis cura. Ceterum notatu digna est cautela, qua Thyrsus jam in Generalem assumptus, ne Sociorum ulcus tangeret, usus erat; quippe in sua introductione ad lectorem hæc habet: *Hunc tractatum non edo, tanquam Præpositus Generalis Societatis, sed tanquam unus e Societate Theologus, nullum a subditis meis ad ita docendum adstringere intendens, sed omnibus plenam libertatem relinquens, ut in hac gravissima controversia eam partem defendant, quam post accuratum studium ex sincero desiderio inveiendi veritatem susceptum, solidioribus nixam fundamentis deprehenderit* Abest, ut velim subditos meos ad meam sententiam defendendam obligare.

§. LXVIII.

*Controversia circa electionem novi
 Episcopi Leodiensis.*

Postquam Joannes Ludovicus L. B. de Eltern Leodiensem thiam unam
 Q 2 cum

*Theatr. Eu-
 rop. t. 14.
 Hist. Cont.
 Chron. l. 12.
 pag. 466.*

Sæc. XVII. cum vita die prima Februarii repentina
A. C. 1694. morte obrutus, deposuerat, hujus Ecclesie
 Canonici die vigesima Aprilis ad
 novam electionem processerunt. Ea
 autem tum erat temporum iniquitas,
 ut hinc Gallis quasdam Leodiensis
 Principatus urbes suo milite firmanti-
 bus, illinc foederatis Leodii Metro-
 polin & arcem possidentibus non tam suf-
 fragiorum libertas, utilitasque Eccle-
 siæ, quam Principum sese ingerentium
 potentia, indeque impendens aut pe-
 riculum aut commodum attenderetur.
 Nulli labori, nullique arti parcebant
 Galli, ut vel Fürstenbergium, vel Bul-
 lionium Cardinales, vel si hunc utpote
 natione Gallum, vel illum velut decla-
 ratum Imperii hostem rejicere vellent
 Canonici, saltem alium Gallicis parti-
 bus addictum eligerent: Jamjam Bul-
 lionius Huyum profectus, tanquam
 Capituli Leodiensis Præpositus, ut Leo-
 dium pergere, atque electioni interesse
 posset, publicas securitatis literas sibi
 dari petiit, simulque Franciæ Regis
 literas die quinta Martii datas trans-
 misit, quibus hic Canonicis *neutralitatis*,
 ut vocant, beneficium, necnon eo
 venturis ac inde recedentibus omnem
 securitatem usque ad primam Maij
 diem ea lege pollicitus est, dummodo
 foederati ex urbe & arce usque ad per-
 actam

actam Episcopi electionem milites suos Sæc. XVII. A. C. 1694.
abducturi essent: Attamen Canonici Bullionio Cardinali, quem utpote vi-
statutorum electionis incapacem jam
die vigesima septima Februarii exclus-
erant, responderunt, superfluum esse, ut
Leodium veniret, cum suffragii jure
destitutus esset: de cetero fœderato-
rum præsentiam nullatenus quidem e-
lectionis libertati obesse, se tamen ef-
fecturos, ut hi milites suos abducerent,
prius tamen Galli Bullioniam, Huyum
& Dinantium, utpote urbes Leodiensi
Ecclesiæ proprias desererent. Hoc re-
sponso offensus Cardinalis, factæ ex-
clusionis causam sibi aperiri petiit, se-
cus se jus suum omni, qua posset, via
vindicturum: cum autem Canonici
repulsam darent, Bullionius die deci-
ma Aprilis ad Sacram Sedem provo-
cans, cuncta futuræ electionis acta tan-
quam nulla atque irrita declaravit,
suæque oppositionis literas ad Papam
& Apostolicum Nuntium Coloniensem
transmisit; Insuperhabita hac appella-
tione Canoniorum quidam Josephum
Clementem Coloniensem Archiepisco-
pum postularunt, alii Ludovicum An-
tonium Palatini Comitem & supremum
Ordinis Teutonici Magistrum necnon
Archiepiscopi Moguntini Coadjutorem
elegerunt, hujus electionis valorem

Q 3

sum-

Sæc. XVII. summi Pontificis iudicio ac decisione
A. C. 1694. relinquentes: Dum vero Romæ res
 agitabatur, nuntiatum est, Ordinis Mag-
 gistrum die quarta Maij maligna febre
 Leodii extinctum, & Canonicos eidem
 faventes, Josepho Clementi, qui a Papa
 Eligibilitatis, ut vocant, decretum jam
 antea receperat, accessisse: Hic igitur
 postquam die decima octava Septem-
 bris Roma confirmationis diploma ac-
 ceperat, die vigesima quarta Octobris
 inter festivas omnium acclamations
 in Leodiensem Episcopum proclama-
 tus est, Frisingensem tamen Episcopa-
 tum mox dimisit.

§. LXIX.

Bellicæ hujus anni expeditiones.

Currens hic annus adeo præliis ac
 victoriis erat vacuus, ut vel ta-
 cita armorum cessatio crederetur de-
 creta, aut si bellum ageretur, id po-
 tius in hostium terras, quam hostes ge-
 stum dici posset: quippe Vezirius in
 Hungaria magno quidem apparatu pro-
 pe Petrovaradinum Cæsarea castra arcis
 instar oppugnabat, sed re infecta, ac
 lacero cum exercitu Savum versus viam
 relegit. Caprara vero Cæsareus Bel-
 lidux auspiciore successu Giulam ur-
 bem Turcis deditioe facta eripuit,
 Polo

Poloni etiam Turcas ad oram fluvii Ty- Sæc. XVII.
 ris inito prælio fuderunt, Veneti quo- A. C. 1694.
 que Scio arcem & insulam sexto obsi-
 dionis die expugnarunt, ast a Turcis
 gemino prælio devicti suo cruore parta
 non sine dedecore amisere: in Flandria
 Delphinus & Lucemburgicus mira mi-
 litum alacritate ad Scaldim contende-
 runt, res tamen tota in vastis hæsit
 consiliis, Lorgius vero trans Rhenum
 cum suis progressus, vigesimo post die
 flumen remensus est, non alio tanti
 conatus successu, quam quod frumen-
 tatione, pecuniarum exactionibus, &
 pabulatione vicinas terras amissis suo-
 rum non paucis exhausisset. Angli
 tamen Barclaio Architalasso interce-
 ptis plusquam centum navibus Gallicis
 varios Franciæ portus infestarunt, at-
 que assidua glandium ignivomarum e-
 vibratione Dieppam, portumque Gra-
 tiæ misere devastarunt. Soli Hispani
 in Catalonia Gallici Martis victima
 fuere; quippe a Noalio ad Thicim flu-
 vium pene ad internecionem deleti,
 cunctisque impedimentis exuti, insu-
 per Palamum, Gerundam, Osterlium,
 pluresque alias minoris momenti arces
 & oppida Gallis cedere coacti sunt.
 Frigescente igitur utrinque belli ardore
 summus Pontifex totus in eo erat, ut
 inter Principes Christianos pacem &

Sæc. XVII. concordiam revocaret, aut saltem belli
A. C. 1694. inducias procuraret: ad utrumque fa-
 cilem se præbebat Hispaniarum Rex,
 cum autem Ludovicus Franciæ Rex
 inter pacis articulos in Hispaniæ Regna
 succedendi prærogativam Rege Hispano
 adhuc vivente, nec prolis suspiciendæ
 spe destituto sibi vindicare, ac separata
 pace cunctas foederatorum vires di-
 strahere niteretur, omnis ineundæ pacis
 spes in irritum cecidit: ipse etiam Pon-
 tificex ex ipsa hujus anni malacia eo sæ-
 viorem sibi præsagiebat tempestatem;
 quocirca ex bonis Ecclesiasticis centies
 mille aureos recipiendi facultatem, Ve-
 netis in Turcicum bellum concessit, Ja-
 cobo autem Angliæ Regi, urgente For-
 bino Cardinale sexaginta florenorum
 millia submitit.

§. LXX.

*Philippi Thomæ Hovardi Cardinalis
decessus.*

*Sovegos in
Catal. Card.
Palat. t. 5.
Card.*

Eodem anno, quo Raynaldus Esten-
 sis, abjecta Purpura, ob fratris sui
 obitum Mutinensis Ducatus regimen
 susceperat, Philippus Thomas Hovar-
 dus Norfolciæ Dux Purpuram unacum
 vita deposuit. Hic ex Regio Anglo-
 rum stemate oriundus, Londini a puen-
 tissimis Parentibus literis, pietate ac
 morum

morum honestate uberrime institutus, Sæc. XVII.
 ne ab hæresi latius diffusa inficeretur, A. C. 1694.
 in Franciam ad mentem omni scien-
 tiarum genere excolendam missus est.
 Exacto ibidem triennio in patriam re-
 dux, cum per ferale edictum aut reli-
 gionem Catholicam deserere, aut pa-
 tria excedere, a Puritano Senatu ju-
 beretur, nil hæsitans, ex Anglia in
 Italiam profugit, ubi a Mediolanensi
 Governatore perbenigne exceptus, E-
 questris legionis Dux nominabatur:
 altiore autem spiritu agitatus, anno
 ætatis circiter vigesimo Institutum S.
 Dominici in Cremonensi Monasterio pro-
 fessus est. Inde Neapolin studiorum
 causa missus, sacrisque disciplinis ap-
 prime excultus, in Angliam rediit,
 ubi Regina Catharinæ Brigantiæ, quæ
 Regis Lusitani Soror erat, ab Eleemo-
 synis constitutus, fidem Catholicam
 pro viribus restituit, nutantes firma-
 vit, ac devios ad veritatis semitam
 reduxit, vinctosque in carceribus sola-
 tus, martyres supplicii addictos ro-
 boravit, eisque personatus Sacramenta
 Ecclesiæ coram carnifice & licitoribus
 atque in patibulis administravit. Ut
 vero fidei exules, ac utriusque sexus
 Neo-Converti tutum haberent Asy-
 lum, Bruxellis Asceterium pro Monia-
 libus inde ejectis & Boruheimii Con-
 ventum

Sæc. XVII. ventum PP. Dominicanorum natione
 A. C. 1694. Anglorum erexit, ut inde ad Missiones in
 Angliam probe instructi pergere possent. Insuper Regium Senatum eo induxit, ut publico edicto Catholicis Religionis suæ libertatem indulgeret, contradicente tamen Calviniano Parlamento, cujus impulsu Hovardus, ut rebellis populi furorem declinaret, ex Anglia Bruxellas profugere compulsus est. Fluxerat annus sacer hujus sæculi septuagesimus quintus, quo pro comparandis animæ divitiis Romam peregrinari statuit, cumque itineri sese accingeret, inopina sorte a Clemente X. ob egregios in causa fidei labores die vigesima septima Maij Romana Purpura decoratur. Romam igitur delatus, licet in Palatio Apostolico hospitium haberet assignatum, ac insuper Archipresbyter S. Mariæ Majoris renuntiatus esset, maluit tamen inter Confratres suos ad S. Sabinam communem trahere vitam, eorum victu & vestitu contentus: Mirum, quanto fervore hæreticorum conversioni ibidem intentus, Anglos e vinculo iniquitatis eripere studuerit, quibus etiam per Patres Dominicanos in fidei doctrina egregie institutos ingentem auri vim submisit, & Britannos in odium fidei patria pullos ubique largis Eleemosynis sub-

fulevavit. Nec tamen propterea Se-
 dis Apostolicæ obsequiis, ac propriæ Sæc. XVII.
A. C. 1694.
 salutis curæ defuit; quatuor enim Sa-
 cris Congregationibus adscriptus, gra-
 vissima Ecclesiæ negotia feliciter ex-
 pedivit, utiliter gessit, ac rigidus Clau-
 stralis Regulæ Cultor omnibus verbo
 & exemplo profuit. Erat integerrimæ
 vitæ Vir, charitate fervens, eloquio
 suavis, moribus gravis ac venerandus:
 munificus in pauperes & peregrinos,
 atque in omnes benignus: Postquam
 vero ejecto Jacobo II. Rege, religioni
 Catholicæ in Anglia sub Auriaco Prin-
 cipe lethale, ac ne vix quidem sanan-
 dum vulnus esse inflictum compererat,
 adeo indoluit, adeo tabescere, & sen-
 sim deficere visus est, ut qui non nisi
 uni Ecclesiæ, unique religioni vixit,
 brevi pro fide moriturus crederetur,
 ac ipse de instante mortis hora certus,
 humili loco, in defossa humo, nullo
 erecto tumulo in medio chori a suis
 condi petiit, tandemque meritis ple-
 nus Romæ die decima Junii pie in Do-
 mino obiit, annos natus sexaginta
 quatuor.

§. LXXI.

Pauli Sabelli Cardinalis obitus.

Ad hunc quoque annum a nonnullis
 refertur obitus Pauli Sabelli Nobi-
 lis Old. in ad-
dit. ad Ciac.

Sæc. XVII
A. C. 1694. lis Romani, qui a teneris beneficio natura & gratiæ optimis moribus ac indole prorsus ingenua præditus, spretis nuptiis licet opulenti Sacro sese cælibatui addixit. Confecto studiorum curriculo, Doctoratus laurea insignitus, primo Abbas S. Mariæ Claravallensis, postea Cameræ Apostolicæ Clericus, ac demum suffragante virtute Cardinalis Diaconus S. Mariæ de Scala ab Alexandro VII. renuntiatus est. Postea ab eodem Pontifice Æmiliana legatione honestatus, summa æquitate, prudentia, atque integritate hanc provinciam moderabatur, demum vero relicto sui desiderio, ac insignis doctrinæ, & probitatis fama decessit.

§. LXXII.

Caroli Roberti de Victoriis Cardinalis extrema.

*Guald. in
Theatr. Vir.
III.* **O**biit quoque Carolus Robertus de Victoriis, quo anno autem incertum, eum tamen sub Innocentii XII. Pontificatu fatis cessisse, minime dubium est. Erat is patria Romanus, adolescens excelsi, vividique ingenii, ac literis apprime excultus: Tam egregium in Theologia & Jurisprudentia progressum fecerat, ut laureatus Doctor omnibus admirationi esset. Præfulari

fulari tum veste indutus, primo utrius-
 que Signaturæ Referendarius, ac post-
 ea plurium urbium Rector, demum
 vero Æmilix Vice - Legatus, nomina-
 tus est, ubique ingentem prudentiæ,
 ac moderationis laudem adeptus. Re-
 gnante Innocentio X. ob conspicua ejus
 merita, variis Patrum Cætibus adscri-
 ptus, rara in ferendis sententiis pru-
 dentiæ, ac integritatis specimina edi-
 dit: Postea Tharsensis Archiepiscopus
 ab Alexandro VII. renuntiatus, con-
 tagii tempore Commissarius Generalis,
 necnon Legationis Gallicæ socius Fla-
 vio Chisio Cardinali adjunctus, Nun-
 tium Apostolicum in Franciæ Aula
 aliquamdiu egit: inde vero Romam
 reversus, a Clemente IX. ob Sedis Apo-
 stolicæ negotia integerrime gesta Pur-
 puram Romanam unacum Legatione
 Æmiliana obtinuit: tandem vero caus-
 sis Reipublicæ Christianæ intentus,
 vitam laboribus exhaustam cum vitæ
 æternæ quiete commutavit.

Æc. XVII.
 A. C. 1694.

§. LXXIII.

*Diversæ Innocentii XII. summi Pon-
 tificis Constitutiones.*

Præter plures Constitutiones, quibus
 Innocentius Pontifex tam Sacris
 quam profanis necessitatibus providit,
 Bull. magn.
 Const. In-
 noc. XII.
 insu-

Sæc. XVII. insuper die sexta Martii statuit, ut
A. C. 1694. Confraternitatum Romanarum Ministri
 subsidia decem ex illis, quæ ab ejus-
 modi Sodalitatibus distribui solent, to-
 tidem pauperibus puellis tam in Asce-
 terio Divinæ Providentiæ, quam in
 Hospitio Pauperum invalidorum, quod
 idem Pontifex tam pro Viris, quam
 puellis tuendæ earum honestatis gratia
 non ita pridem erexerat, quotannis
 assignarent. Provide etiam die quarta
 Novembris varia edidit statuta, quibus
 omni fraudi obviam iretur, ne alieni
 subditi ordinarentur, & dimissoriarum
 fides integra esset.

§. LXXIV.

*Decreta diversarum Sacrarum Con-
gregationum.*

*Bull. In-
 noc. XII.
 Const. 29.
 pag. 264.
 Bull. Rom.
 t. 7. Const.
 104. Decis.
 SS. Congr.*

Motis diversis dubiis circa Ecclesiæ
 Ritus, ac disciplinam hoc item
 anno plurium Sacrarum Congregatio-
 num decisiones emanarunt, & quidem
 ad dubium, an Vigilia S. Mathiæ Apo-
 stoli occurrens in feria tertia post Do-
 minicam quinquagesimæ, possit ratione
 carnis privii cum jejunio anticipari,
 respondit S. Rituum Congregatio die
 vigesima tertia Januarii, negando, sed
 jejunium prædicta feria tertia omnino
 esse servandum; Hanc decisionem ipse-
 met

met etiam Pontifex sua Constitutione Sæc. XVII.
 ratam habuit. Decidit quoque Sacra A. C. 1694.
 Concilii Congregatio die sexta Martii,
 quod Capellani cujusvis exercitus, sive
 Regulares sive sæculares non possint
 administrare militibus præfidiariis Sa-
 cramentum Pænitiæ sine speciali
 licentia Sacræ Sedis vel Ordinarii, in
 cujus Diœcesi exstant. Declaratum
 quoque a S. Rota die decima octava
 Junii, quod Episcopus duarum Eccle-
 siarum unitarum debeat pro unaqua-
 que Cathedrali Canonicum Pœniten-
 tiarium eligere. Insuper Sacra Immu-
 nitatis Congregatio die tertia Augusti
 statuit, ut Facultas absolvendi a cen-
 suris ob violatam Immunitatem Eccle-
 siasticam aliquando committi possit Con-
 fessario. Exorto autem dubio in una
 Insularum Canariæ Sacra Concilii Con-
 gregatio die decima tertia Novembris
 declaravit, quod Regulares, præce-
 dente generali indictione, teneantur
 adire Processiones publicas Corporis
 Christi, & similium, nisi obstet privi-
 legium. Ejusdem vero Mensis die vi-
 gesima septima ab eadem Congrega-
 tione correctum fuit Synodi Miletensis
 decretum, quo prohibebatur Regu-
 laribus, ne in Ecclesiis sæcularibus ex
 Legato celebrent: probavit autem
 Sacra Inquisitionis Congregatio die
 quar-

Sæc. XVII. quarta Decembris decretum, quo sub
A. C. 1694. pœna suspensionis prohibitum, ne Mu-
 lierum, puerorumque Confessiones ex-
 tra Confessionale, & non interposita
 Crate excipiantur.

§. LXXV.

*Diœcesanæ Synodi Monasteriensis
Decreta.*

Concil.
 Germ. t. 10.
 pag. 214.

Habuit Fridericus Christianus de Plet-
 tenberg Monasteriensis Episcopus
 non modo Verno tempore, sed & in
 Autumno, & quidem die vigesima se-
 cunda Martii & decima Octobris pro
 more Synodum Diœcesanam, in qua
 cunctis Clericis severe inhiuit, ne vesti-
 bus laicalibus induti non sine maxima
 laicorum offensione incederent, proin-
 prima vice sub pœna suspensionis, ac
 postea sub pœna privationis officiorum
 beneficiorumque præcepit, ut deinceps
 nonnisi nigri coloris veste ute-
 rentur: Hortabatur etiam Parochos,
 omnesque ad curam animarum voca-
 tos, ut studia Theologico - Canonica
 sedulo recolant, & toties quoties Epi-
 scopo videbitur, examini sese sistant:
 Denique immodicum luxum in exe-
 quis mortuorum prohibuit.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1694.*Principum atque illustrium obitus.*

Jam supra Leodiensis Episcopi mortem retulimus, supersunt tamen alii Principes, ac Nobiles, qui hoc anno eandem æternitatis viam ingressi sunt. & primo quidem Natalia Kiriliowna Petri Alexovicii Magni Moscoviæ Imperatoris Mater supremum obiit diem Februarii quartum anno ætatis suæ vigesimo tertio: Hanc morte sequebatur die vigesima nona Septembris annos natus sexaginta novem Leopoldus Ludovicus ultimus lineæ Veldenziæ Comes Palatinus Rheni, cui Christianus II. stirpis Bischweilerianæ successit. Decessit quoque die prima Martii Victoria Ferdinandi II. Magni quondam Florentiæ Ducis Vidua, jam annos nata septuaginta & unum. Vivis insuper valedixit die octava Decembris Rainutius II. Dux Parmensis & Placentinus anno ætatis suæ sexagesimo quarto: Successorem habuit Franciscum Farnesium Filium suum: Obiit quoque die undecimo Januarii Franciscus Princeps de Lislebonna Dominus de Commercy, qui annum ætatis sexagesimum octavum attigerat. Denique naturæ debitum solverunt Sophia Agnes Mega-

Hist. Eccles. Tom. LXXVI, R lopo-

Sæc. XVII. Iopolitana Dux, & Parisiis Joannes Ludovicus Aurelianensis, qui a Societate A. C. 1694. ob mentis imbecillitatem dimissus, Regis beneficio Longavilleam Abbatiam, & postea ex hæreditate Neocastrensem Principatum obtinuit, ac propterea magnæ interpropinquos liti ansam præbuit: Die quinta Septembris Mutinæ Franciscus Atestinus Dux ætatis quidem nonnisi triginta quatuor natus, calculi vero molestia acriter vexatus mortalitatem exiit; cumque improlis esset, Raynaldus Cardinalis defuncti Patruus dimissa, ut supra retulimus, Purpura regimen suscepit: Denique Naupliæ in Peloponeso die sexta Januarii ex calculi doloribus interiit septuagenario major Franciscus Morosinus seu Maurocenus olim supremus Veneti exercitus, & postea totius Reipublicæ Dux, qui inter palmas de Turcis reportatas consensescens, etsi supremum Reipublicæ clavum teneret, raro exemplo summam in castris auctoritatem retinere jussus est: Successorem die vigesima quarta Februarii nactus est Sylvestrum Valerium, qui inter omnes Duces primus erat uxoratus, tanti a Venetis habitus, ut Elisabetham Quirinam ejus Conjugem Ducali corona simul cum Marito decorarent, eique permetterent, ut ejus Aulam Nobiles Ma-

Matronæ contra gentis usum frequen- Sæc. XVII.
tarent. A. C. 1694.

§. LXXVII.

*Antonii Arnaldi Sorbonæ Doct̃oris
fata.*

Luxerat hoc anno tota Jansenistarum *Necrologe*
factio suum Papam, suum Abba- *de Port Ro-*
tem, oraculum, ac commune refu- *yal. Bayle*
gium Antonium Arnaldum, qui sicut *dist. lettr.*
olim Herostratus incenso Dianæ Ephe- *tom. 4.*
sæ Templo famam sui nominis dilata- *Abrege de*
vit, ita Arnaldus dissensionum incen- *Hist. Eccl.*
dio per universam Ecclesiam sparso no- *tom. 13.*
minatissimum se reddidit: Enimvero *Calmet Hist.*
jurati ejusdem hostes illum ad inferos *Univ. t. 17.*
usque depresserunt, eumque hominem *pag. 549.*
sui impotentem, aliorum contempto-
rem, iracundum, superbia turgidum,
& arrogantem orbisque pestem, sæculi
sui probrum appellitant, ac tot vitiis,
quot Argus oculis, notatum depingunt,
ejus vero sectatores illum suis pennis
ad sydera extollunt, Solemque minori
damno Orbi, quam Arnaldum Eccle-
sæ eripi scribunt, hujus Viri charita-
tem, mansuetudinem, omnesque virtu-
tes summe deprædicant, ac unice ora-
tionis, prophetiæ & Miraculorum dona
ei attribuere reformidant. Ita pro af-
fectuum diversitate diversum erat de

R 2

hoc

Sæc. XVII. hoc Viro iudicium: Negari tamen non
A. C. 1694. potest, quod naturæ beneficio præcla-
 ris admodum dotibus exornatus, elo-
 quentia, ingenii acie, eruditione, ac
 perspicuitate eminuerit, iudicii tamen
 pertinacia, nimia sui ipsius æstimatio-
 ne, indeque enata superbia ingentem
 nomini suo maculam inusserit. Erat
 is anno hujus sæculi duodecimo die
 sexta Februarii Parisiis natus ex Patre,
 qui edito *sermone ad Regem Henricum IV.*
libero & vero contra Societatis revocatio-
nem sibi Jesuitarum odium accersiverat.
 Operam navabat primum Jurispruden-
 tiæ, ac postea Theologiæ, Magisterio
 usus L'Escoti, postea Carnutensis Epi-
 scopi, cujus tamen sententias de gra-
 tia, jam tam ultra Magistrum sapere
 tentans, refellere aggressus, sancti Au-
 gustini libros sedulo evolvit. Anno
 Christi supra millesimum sexcentesimo
 quadragésimo primo Sorbonæ Doctor ele-
 ctus, ac Sacerdotio initiatus, biennio post
 contra Patrem Petrum de Lesmaisons
 Jesuitam edidit librum *de frequenti com-*
munione, quod opus, cum Arnaldus
 Romæ proscibendum vereretur, totus
 in eo erat, ut vaticanum fulmen aver-
 teret, ac propterea undique amicos con-
 ducere satagit, quos inter non modo
 Bourgoisus Sorbonæ Doctor Romæ per
 integrum biennium, sed etiam Episcopi,
 qui

qui hunc librum approbarunt, ut ejus- Sæc. XVII.
dem damnationem præpedirent, omne A. C. 1694.
studium impenderunt, huncque in fi-
nem die decima quarta Martii Anno
1644. Parisiis Romam ad summum Pon-
tificem sequentem Arnaldi declaratio-
nem transmiserunt: „cum solius veri-
tatis amore, & juvandarum anima-
rum studio (ut Deum, qui veritas est,
sancte possum attestari) Librum de
frequenti Communione scripserim, ita nunc
tam sincere, quam libere coram Deo
jurare possum, me Librum illum sanctæ
Romanæ Ecclesiæ, summiq; Ponti-
ficis, quem ut supremum in terris
Christi Vicarium cum universo Chri-
stiano Orbe veneror, cuique me, mea-
que omnia libens submitto, Catho-
licorum omnium Episcoporum, quos
ut Patres suspicio, & colø, illustrissi-
mi Archiepiscopi Parisiensis, cui obe-
dientiam, quam vovi, in omnibus,
semper exhibebo; Facultatis Theolo-
gicæ, Matris meæ, quæ me semper
observantissimum, & amantissimum
habebit, iudicio subicere, semperque
subjecisse. Et sicut me, Deo lar-
giente, nulla unquam vel tempora-
lium bonorum cupiditas, vel malo-
rum formido a veritate amplexanda,
tuendaque deterrebunt, ita nec per-
tinax, & contentiosus privatæ opi-
nio-

Sæc. XVII. „nionis amor eo me adducet unquam,
 A. C. 1694. „ut vel tantillum recedam ab obsequio,
 „atque observantia, quam debeo, &
 „propenso animo reddam semper Ec-
 „clesiæ, cujus potestatem, atque au-
 „ctoritatem a Christo ipso manantem,
 „& ad nos usque continua Sæculorum
 „serie transmissam, & ulterius ad
 „mundi consummationem usque trans-
 „mittendam in omnibus ipsius Pastori-
 „bus, & Conciliis unam atque invio-
 „labilem amplector, & veneror.,

Hanc vero Arnaldi submissionem minus sinceram fuisse, paulopost sat luculenter apparuit, cum enim hic in præfato libro exemplum D. Petri & Pauli adducens, *duo hæc Ecclesie capita in-
 signe nobis poenitentiae exemplar reli-
 quisse scripsisset*, mox Doctoribus Catholicis cum ipso hac de re expo-
 lantibus, suæ subjectionis immemor, & correctionis impatiens suam opinio-
 nem de bicipite Ecclesia confirmare nitebatur, edito etiam libro, cujus
 exemplaria typographo in vincula con-
 jecto omnia Seguerii Cancellarii jussu
 fuere erepta, adeo, ut solus Bouche-
 tus unicum adhuc residuum haberet.
 Exorta demum Jansenistarum contro-
 versia circa gratiam Arnaldus contra
 Habertum & Le Moine Doctores Jan-
 senii causam tuebatur: Postquam vero
 binas

binas epistolas suas in Liencurii Ducis Sæc. XVII.
favorem ediderat, Sorbona & urbe A. C. 1694.
pulsus in solitudine Portus Regii, quo
tota ejus familia se receperat, per vi-
ginti quinque annos vixit, nonnisi post
Clementis IX. pacem redire permissus.

Nec diu tamen patriæ aura frui pot-
erat; de concitatis enim novis tumul-
tibus apud Regem infimulatus, in Bel-
gium modo Hispanicum modo fœdera-
tum secessit, inde vero denuo expulsus,
Leodii in tenebris aliquamdiu delituit
suisque duntaxat notus, calamum suum
contra Jesuitas, P. Malebranchium, P.
Simonem, Steyaertium, Jurieum, a-
liosque plerumque in favorem Janse-
nistarum mire exercuit. Tandem vero
Bruxellis in suburbio Coo vel ut alii
volunt, in quodam Leodiensi pago
noctu, quæ diem octavam & nonam
Augusti intercudit, post Sacramenta
a suo Parocho accepta, anno ætatis
suæ octogesimo secundo animam effla-
vit, sepultus in Ecclesia Præmonstra-
tensium, ubi tunc domicilium fixerat:
cor ejus ad Portu-Regienses Moniales,
ubi thesaurus ipsius erat, in Galliam
translatum est (*). Defuncto Magistro
R 4 suo

(*) Urnæ, cui inclusum erat Arnaldi cor,
hoc epitaphium erat insculptum:

Graces

Sæc. XVII suo sepulcralibus inscriptionibus parente certabant ejus Discipuli, atque amici; quos inter Joannes Baptista Santavilius seu Santolius Canonicus Regularis ad S. Victorem hoc epitaphio ejus laudes complexus est.

Ad Sanctas rediit Sedes *ejectus*
& *exul*

Hoste triumphato: tot tempestati-
bus actus

Hoc portu in placido, hac Sacra
tellure quiescit

Arnaldus, *veri defensor*, & arbi-
ter æqui,

Illius ossa memor sibi vendicat
extera tellus,

Huc cælestis amor rapidis cor
transtulit alis,

Cor nunquam avulsum, nec ama-
tis sedibus absens.

Hoc

Graces au ciel, je suis au port
Adieu grandeurs, adieu fortune
Passant, n'en demande a Dieu, qu'une
C'est d'avoir un semblable sort.

Qui versus ita latine reddi possent:

Inveni portum, spes & fortuna
valet.

Qui legit hæc, optet, sit sibi fors
eadem.

Hoc epitaphium Dominus de la Sæc. XVII.
 Femas gallice reddidit, cum autem A. C. 1694.
 Arnaldum vocasset *veritatis Martyrem* (*),
exulem, ac inique *vexatum*, inde non
 pauci graviter offensi palam afferebant,
 hæc verba in Regis injuriam ac contu-
 meliam verti: carpebant etiam alii in
 Latino Epitaphio hæc verba: *Hoste Marvill.*
triumphato, ac *veri Defensor*: quapro- *Melang.*
 pter Magistratus auctoritate hæc in- *d'Hist. t. 2.*
 scriptiones fuerunt suppressæ, injun- *pag. 23.*
 ctumque, ut aliæ componerentur, in
 quibus tamen non nisi Arnaldi scientia
 & fidelitas erga suum Principem ce-
 lebra-

R 5

(*) Gallica hujus epitaphii versio erat hæc:

Enfin apres un long orage
 Arnaud revient en ces Saints
 lieux,

Il est au port malgré les envieux.
 Qui croyoient, qu'il feroit naufrage

Ce Martyr de la Verité

Fu banni, fu persecuté,

Et mourut en terre estrangere
 Heureuse de son corps d'etre de-
 positaire,

Mais son coeur toujours ferme, &
 toujours innocent,

Fut porté par l'amour, a qui tout
 est possible.

Dans cette retraite paisible
 D'on jamais il ne fut absent.

Sæc. XVII. lebraretur: quocirca Abbas Faiditus
A. C. 1694. funebrem hanc inscriptionem apposuit.

Hic jacet Arnaldus, lucem cui
Gallia, portum

Flandria, Roma fidem, præbuit
astra Deus.

Pariter elogia, quibus Carolus Per-
raltius Arnaldum & Paschalem honora-
bat, e suo libro (*) expungere ab Ec-
clesiasticis jussus erat: illud tamen Im-
portunitate eorum, qui hunc librum
sine præfato utriusque Viri elogio e-
mere recusabant, restitutum est.

§. LXXVIII.

Arnaldi scripta.

Præter libros jam memoratos Arnal-
dus insuper edidit Elementa Geo-
metriæ, & tractatum de traditione
Ecclesiæ circa pœnitentiam, librum
de perpetuitate fidei circa Euchari-
stiam, in quo quidem opere Nicoles
potissimam partem habuit, Arnaldus
tamen Joanni Claude Calviniano Præ-
dicanti, qui præfatum librum refellere
nitebatur, opposuit alium librum, cui
titulus: *Perpetuitas fidei in Ecclesia Ca-
tholica*

(*) Cui titulus: *Les Hommes illustres de
France.*

tholica circa librum Claudii Carentomiani Sæc. XVII, A. C. 1694.
Prædicantis, scripsit etiam contra Calvinistas librum sub titulo: *Doctrina*
moralis Jesu Christi, a Calvinistis eversa,
 præter alium ita inscriptum: *Calvinistarum doctrina moralis novitatis convicta*.
 Edidit tres epistolas ad S. Facultatem Parisiensem, aliam ad Holdenum, librum de lectione Sacræ Scripturæ, reflexiones in eloquentiam Concionatorum, propositiones Theologicas duas, testamentum spirituale, denuntiationem peccati Philosophici, epistolas pro Liancario Duce, aliosque contra Malebranchium, Apologiam Patrum circa gratiam, Apologiam pro Catholicis, artem cogitandi, & plurima alia in Jansenii favorem scripta, quæ in *Causa Arnaldina* continentur, quorum tamen potissimi libri in Indice stigmatæ nigro notati sunt.

§. LXXIX.

Scriptorum Catholicorum opera & obitus.

Quosdam insuper alios ex Scriptoribus Catholicis, qui hoc anno obi-
 here, luxit Respublica literaria, atque inter eos sui desiderium reliquit.
 I. Ismael Bouillaud, qui in Calvinii errore enutritus, anno ætatis suæ vigesimo

*Du Pin
 Nouv. Bibl.
 des Auth.
 t. 18. p. 105.
 Morer dict.
 Le Cerf Bibl.
 des Auth.
 Bayl. Dict.
 Hist.*

Sæc. XVII. fimo primo ad veritatis semitam rediit.
A. C. 1694. Hic præter Philosophica & Mathematica a Philosophis plurimum æstimata scripsit latinam crisin in Chronicon S. Benigni Divionensis, Dissertationem de eodem Sancto, tractatum de Ecclesiis Lusitanis, & populis fundis, tractatum pro eisdem Ecclesiis, Historiam in Ducam de rebus Byzantinis, & tractatum de Paschate. II. Ludovicus Auberus scripsit Historiam Cardinalis de Joyeuse, tractatum de Regaliis, Historiam Cardinalis Mazarini, Præminentiam Franciæ Regum super Cæsarem, & Hispaniæ Regem, Historiam Cardinalis Richelii, tractatum de dignitate Cardinalitia, & de justis prætensionibus Franciæ Regis in Imperium; querentibus tamen desuper Imperii Principibus Auberus propter postremum hunc tractatum aliquamdiu in carcere hæsit. Hunc primum anno sequenti die vigesima nona Januarii Parisiis anno ætatis septuagesimo nono obiisse, putat Dupinus. III. Michael Germain Benedictinus ex Congregatione S. Mauri, qui perutilem operam Mabillonio in concinnandis actis Sæculi IV. Benedictini, necnon operi de re diplomatica præstitit: insuper scripsit tractatum de Palatiis Regum, Historiam B. V. apud Sueffiones, & Historiam

riam synopticam de Monasteriis Congregationis S. Mauri. IV. David Placidus Porcheron ex eadem Congregatione edidit præcepta pro institutione Principis, & Synopsin vitæ Basilii & Leonis Imperatorum. V. Julianus Morillon scripsit Paraphrasin in Ecclesiasten, Tobiam & Jacobum &c. VI. Anselmus Gribonus Ord. FF. S. Augustini Discalceatorum publici juris fecit Historiam Genealogicam Regum Franciæ & præcipuorum Belliducum, Palatium honoris seu genealogiam illustrium Franciæ & Europæ familiarum, & Palatium gloriæ &c. VII. Marinus Grotete de Mahis Aurelianensis Canonicus, qui ex Calviniano Præcone strenuus Catholicæ veritatis assertor effectus, Calvinistas acerbè exagitavit quæstione, *cur sese ab unitate Ecclesiæ segregarint?* hancque in rem librum de schismate Calvinistarum vulgavit: posteris insuper reliquit tractatum, cui titulus: *Catholicæ Religionis veritas per S. literas comprobata.* VIII. Ignatius Fiume Ord. FF. Prædicatorum Episcopus Polinianensis scripsit tres tomos sub titulo: *Schola veritatis adversus mendacia Lutheri, Calvini, & Protestantium erecta:* tractatum de Sacramentis, de Deo, Ecclesia & summo Pontifice, & de Verbo scripto ac tradito. IX. Josephus

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.

Sæc. XVII. phus a S. Maria Carmelita Excalcea-
A. C. 1694. tus elucubravit commentaria in pro-
 positiones damnatas ab Alexandro VIII.
 & Innocentio XI. Theatrum morale,
 præter conciones. X. Tuffanus a S.
 Luca Carmelita vulgavit Historiam Ge-
 neralem de Britannia Aremorica & de
 inquisitionibus hujus Provinciæ, Mo-
 numentum de statu Cleri & Nobilitatis
 Aremoricæ, antiquitatem Ordinis E-
 questris B. V. de monte Carmelo & S.
 Lazari, & Historiam Principum Comi-
 tatus Pentevriæ, & Cogitationes soli-
 tudinis de contemptu mundi.

§. LXXX.

*Opera & decessus Scriptorum Hete-
rodoxorum.*

Niceron t. II. **N**ec deerant Heterodoxis Scriptores,
pag. 415. qui suis lucubrationibus cum vita
Lexicon finem hoc anno fecere, & quidem pri-
Univ. Hist. mus erat Andreas Müllerus, qui Wal-
Neuman. toni opus Biblicum perfecit, & Histo-
Stolb. liter. riam Beidavæi Sinensem cum notis,
 Alphabetum Japonicum, æconomiam
 Bibliothecæ Sinicæ, dissertationem de
 eclipfi passionali, observationes Sini-
 cas & stricturas Calendarii decupli,
 plu-

pluraque alia edidit. II. Erasmus Fran-
 cisci scripsit confutationem calumnia-
 rum contra Joannem Matthæi, acer-
 ram exoticorum, Gloriam mortuorum
 Ethnicorum, Judæorum, & Christia-
 norum, præter descriptionem Regni
 Hungarici. III. Henricus Wharton
 typis vulgavit tractatum de Cæliba-
 tu, speculum Ecclesiasticum, fana-
 tismum Romanæ Ecclesiæ in S. Igna-
 tio Loyola, beneficiorum pluralita-
 tem vindicatam, castigationem Histo-
 riæ Reformationis Burneti pluraque
 alia. IV. Samuel Puffendorf scripsit
 libros octo de jure naturæ & gen-
 tium, de officio hominis & Civis,
 Historiam de Monarchia Pontificis,
 introductionem ad Historiam, tracta-
 tum de habitu Religionis & plurima
 alia. V. Caspar Sagittarius scripsit
 varias exercitationes, Harmoniam
 Evangelicam, dissertationes circa va-
 ria instrumenta Passionis Dominicæ
 & quædam alia. VI. Christianus Kort-
 holt publici juris fecit Valerianum
 Confessorem, disquisitiones Anti-Ba-
 ronianas, tractatus de Canone Scri-
 pturæ, de persecutionibus Ecclesiæ
 primitivæ, de Virga Aaronis, de le-
 ctione Bibliorum in linguis vulgo co-
 gnitis, de tribus impostoribus ma-
 gnis,

Sæc. XVII.
 A. C. 1694.

Sæc. XVII. gnis, de variis Scripturæ editioni-
 A. C. 1694. bus, Historiam Ecclesiasticam N. T.
 Papam utopicum, & schismaticum,
 exercitationes in Historiam Judith,
 commentaria in Historiam Judith, Pa-
 storem fidelem, Paganum obtrecta-
 torem, pluraque alia. VII. Guiliel-
 mus Saldenus posteritati reliquit exer-
 citationes varii argumenti, conciona-
 torem Sacrum, tractatum de libris,
 varioque eorum usu & abusu,
 aliaque nonnulla.



HISTO-